STEPHANI VVINTON.

Gardiner K

EPISCOPI DE VERA OBEDIENTIA ORATIO.



PXISTIMANTI MIHI, et cogitatione mecum tacita considerranti, præsentem in ecclesia Anglicana ordinum statum, in quo permulta quę uel hominum, uel temporum uitio iamdiu confusa, nonnulla autem labefactata, quędam etiam collapsa, ac tantum nō funditus euersa essent, ad pristina rursus diuini operis fundamenta, appenso uerbi dei perpendiculo, reuocata, reposita, ac restituta esse cum uiderem, Subibat animū continuo meum, non sine ueneranda quadam admiratione, diuinę ueritatis inuicta uis, et magnitudo, quę nimirum licet humanę interdum persuasioni ruinas pergraues, ac diuturnas perpessa uideatur, manet tamen ipsa solida semper, firma, atq; certa, hoīm quidem nō nunq̄ prestigiis, atq; fucatis artibus, ceu nebulis quibusdam pauliſper obducta, at tempore à deo prescripto, solis instar, tenebris tandem discussis, et profligatis sese denuo proferens, atq; uindicās: ut iustificetur deus in sermonibus suis, et uincat cū iudicetur. Neq; uero dubito quin in hanc eandem, aut certe haud multo dissimilē cogitationē mecum multi, iiq; docti, graues, ac boni uiri inciderint, quibus inepta quadam, et inueterata superstitione impeditis, ueritatiq; aliquā diu reluc- Psalmo. 50.

tantibus, eadm hæc cogitatio omnes dubitationis ſcrupulos prorſus ademit, lucemq; ueręq ueritatis, diuina operante gratia attulit, atq; adduxit. Equidem autem ut de meipſo ingenue confitear cum legis, & literę ut ita dicã, emulator, ac propugnator eſſem acerrimus, nec quicq̃ illibentius unq̃, aut inuitius facerem, q̃ ut à receptis, qualiacunq; eſſent, diſcederetur, quo quidem longius meum in ea re iudiciũ a ueritate receſsit, hoc certe uehementius, atq; acrius quiddam in ueritate agnoſcenda paſſus uidebar. non aliter ſane atq; oculi tenebrarum caligine hebetes iam facti, ad ſubitũ irradiãtis luminis ſplendorẽ ſolent obſtupeſcere. Mihi nam q; illud haud datũ fuit, quod Diuo Paulo cõſtat accidiſſe: qui ſimulatq; à deo proſtratus ceciderit, uocem obedientiæ protinus
Act. 9. emiſit, dicens, Domine quid uis me facere? hoc enim electo illi uaſi uberior dei gratia contulerat, ut uocem corripientis dei, et ab errore reuocantis confeſtim agnoſcens, totum ſe deo committeret regendum, et ei in omni ueritate ſtatim obediret, ac pareret in omnibus. Ego autẽ etſi ueritati ſemper, quę omnis haud dubie a deo manat, obediendum ſtatui, in ipſa tamen ueritate diſcutienda, atq; examinanda, difficilior protinus non acquieſcebam. Sed ita me comparaui ut tanquàm omnium

nium ſenſuum iudicium exigendo, niſi ea prius me, et auribus audiſſe, et naribus olfeciſſe, oculis præterea uidiſſe, manibus deniq; contrectaſſe ſẽ-ſiſſem, haudquaq̃ ſatis ſpectatum putaſſem, ut ueritati quaſi perſpectæ, et cognitę intelligentię meę ſenſum ſubmitterem, & captiuarẽ. Quam meã cũctationem, quæ aliquibus fortaſſe nimis quàm pertinax reluctatio uiſa eſt, nõ prudentiæ ſane, aut grauitati uolo adſcribere, ne quis me uelut bonis uicinis deſtitutum, quod dicitur, meas me ipſius laudes putet prædicare, ſed dei plane in ueritatis traditione conſtantiſsimę uarietati, ut par eſt, tribuo, atq; aſſigno. à quo omnes cum doceantur, qui uidelicet docentur, ſecundum illud: Et eritis omnes docibiles dei, ut quiſq; ſe in aſſentiẽdo ueritati ſenſerit affectum enarrare quidem licet, ac profiteri, cauſas uero cur hic citius, ille tardius, alius nunq̃ oblatã a deo ueritatis cognitionẽ amplectatur, neq; ſemper perſpicere eſt datum, neq; altius q̃ ſcripturis expreſſum eſt, permiſſum inueſtigare. Tãtum abeſt ut cauſam tarditatis meæ coner in pręſentia reddere, aut cunctationem illã, ceù propriam animi mei dotem, mihi arrogare. quod ipſum non ſolum apud homines ſtultitiæ nota, ſed impietatis etiam apud deũ crimine non uacaret. quin potius orbi rationem reddere uolui quid

Ioan. 9.

quid meam mihi ſententiam tantopere mutarit, quidq; me a meipſo, ac meis antehac cum uerbis, tum factis tandē coegerit diſſentire. Coegit certe (ut uno uerbo dicā) quod omnes cogit, cū ita deo uiſum eſt, uis ueritatis: cui parent tandem atq; obediūt omnia. Quod te oro atq; obſecro benigne, candideq; lector, ut me de uera obedictia uerba facturum læta fronte feras, quęq; tua cauſa uel rhetorum, uel dialecticorū leges a ſcriptore exigunt, ut nimirum in ingreſſu te uel beneuolum, uel docilem, uel deniq; attentum reddam, cuiuſmodi nihil hactenus præſtiti, ea tu tamen mihi, quaſi accepta referas, & quaſi uere ſoluta acceptilatione remittas. Nam cum ego me uere obediſſe ſentiam ueritatem agnoſcendo, non poſſū ſane mihi temperare, quin de uera obedictia aliquid in mediū proferam, eamq; ſi non pro rei dignitate dicendo ualeam illuſtrare, at certe publice eā prędicare, ac profiteri contendā. Atq; ut quod propoſui ſtatim aggrediar, nihil eſſe aliud puto uere obedire, q̄ obedire ueritati. Deus autem ueritas eſt, ut ſcriptura teſtatur, in qua etiā maxime prælucet nobis, adeo quidem, ut qui aliunde conquirāt, et a ciſternis, atq; lacunis hominū non ab ipſo limpidiſsimo, et ſynceriſsimo fonte petant, hauriūt interdum, et referunt neſcio quid turbidum, et lutu-

et lutulẽtum certè ad reſtinguẽdam humanarum cupiditatum ſitim, quod omnino ueritatis eſt proprium, inefficax atq; inane. Solus enim ille eſt qui aquã nobis preſtat ueritatis ſalutarem, de qua, qui fidei per IESVM CHRISTVM proditæ obediendo biberit, is etiam ueræ obedictiæ fructum feret, ut non ſitiat in ęternum. Nempe deus etiamſi in ueteri lege cum iam cultum ſui ſyncerum & purum, quem nũc ueri adoratores in ſpiritu et ueritate ſint exhibituri in uictimis et ſacrificiis adũbrare et ſignificare decreuiſſet, ipſas ideo uictimas et ſacrificia ſummo ĩ honore haberi, pariq; religione præſtari prȩcepiſſet, ut oſtẽderet tamen quanto habuerit ſemper cariorem obedientiam, eam omnino omnibus et uictimis et ſacrificiis etiam tũ anteponendam fore in quãplurimis ſacræ ſcripturæ locis manifeſte declarauit. Sic enim Samuel ex ſpiritu dei loquitur ad Saul, Nũquid (inquit) uult Dominus holocauſta et uictimas, et nõ potius ut obediatur uoci dñi? Melior eſt obedientia, q̃ uictimæ, & auſcultare magis, q̃ offerre adipẽ arietũ. Moyſes etiam in deuteronomio obedctiam populo commendaturus ait, En propono, inquit Moyſes, in conſpectu ueſtro hodie benedictionem et maledictionem. Benedictionem, ſi obedieritis mandatis domini dei ueſtri

Ioan. 4.

1. Regũ. 15.

Deutero. 11.

uestri, quę ego hodie prȩcipio uobis: maledictionem, si nō obedieritis. Diuus autem Paulus huius uerę obedientię illis uerbis meminit, cum ad Ro. scribens se gratiam, et apostolatum accepisse refert ad obediendum fidei in omnibus gentibus &c. Fides enī obedictiam exigit, uidelicet ut dei uoluntatem in Christo, qui est uerbum patris agnoscentes, atque illius merito gratię dei participes effecti, per eundem etiam dominum nostrum, et obediendo credamus, et credendo obediamus. Quisquis autē deo, atque in deum credendo sperat, atque ab eo solo remunerationem expectat, neque extra deum operum factorumq; suorum fines porrigit, sed illis limitibus circumscribit, ut tanquàm a deo profecta, à quo omnia bona procedunt, etiam in deum referat, illumq; et initiū unicum boni, et finem esse agnoscat: hic certe est qui uere obedire dici potest, ueritatem uidelicet sectando, et præ illius amore omnia contemnendo, quæ fallax hic mundus et magnifacere solet, et ostentare. Quam quidem obediendi ueritatē ut dilucide, ac manifeste non auribus modo, sed oculis etiam cerneret, atque conspiceret mortalium genus, nempe ut ad eam consectandam & exterius, et interius a patre cęlesti quotquot futuri sunt filii traherentur, à patre processit uerbum in uirginem

Rom. 1.

uirginē Christus Iesus: indutusq; uero ac mortali corpore iam caro factus, idē deus et homo habitauit in nobis (gloria etiam eius in signis, et uirtutibus manifestata quasi unigeniti à patre) et quē nemo unq̄ uidit, deum nobis enarrauit, uerasq; obedientię uias pręiuit, et pręmonstrauit, ut sicut per inobedientiam unius hominis peccatores cōstituti sunt multi, ita p unius obeditionē iusti constituantur multi: et superata morte, quam inobedientię peccatū induxerat, uera iam uita in Christo ex obedictię uirtute uiueretur. Fidere enī deo atq; illi firmissime adhęrere, quam iusti uitam appellat scriptura: hoc certe illi obedire est, et obedientiam exercendo corpus castigare, carnem in seruitutem redigere, regnum peccati, quo ad licet, conuellere, à deo pendere, membra nostra in iusticiæ seruitutem mācipare, nostra contemnere, et dei amore quæ sunt aliena curare, deum ipsum pro premio sperare, nec absq; deo, aut præter deū ipsum quicq̄ plausibile, aut iucundū ducere. Hoc autem est dominum diligere ex toto corde, qui uidelicet zelotes est deus, neminē ferens in amore cōmunē, sed qui totum sibi exposcit hominē, nec in partes diuelli patitur, ut duorum dominorum pręceptis subseruiat, sed se solum adorari uult, et sibi soli à suis inseruiri. Cuius certe diui-

Ioan.1.

Rom.5.

Exod.20.

næ uoluntatis mysterium a seculis inscrutabili dei consilio absconditum, reuelauit nobis in fine tẽporum noster Christus, humani generis hostia,& piamentum, qui iustissimam dei iram placando, doctrinam obedientiæ factis ędidit salutarem, et pro nobis passus est, nobis relinquẽs exemplum,
1. Pet. 2. ut sequamur uestigia eius: quæ quidem uestigia si cõsiderabimus, reperiemus plane obedientię ueritatem eam demum esse, quę uoluntatem dei in uerbo, qui Christus est, mortalibus proditam cæteris omnibus postpositis exequitur in mandatis, et à deo excitata, in deum etiam qui dat et uelle et operari pro bona uoluntate refert effectum, & fi-
Luce. 2. nem. Itaq; cum Christum iam in templo docẽtem, et in ueręobedientiæ officio uersatum interturbaret mater, Nonne scis, inquit, quia in iis quę patris mei sunt oportet me esse? ut ostẽdat manifeste etiã naturæ affectũ diuinæ uolũtati parere oportere, nihilq; prius esse debere, q̃ pręcepta diuina obedičdo pręstare. Sicut, inquit, mandatũ de-
Ioan. 14. dit mihi pater, sic facio. Et alibi, Non sum missus
Mat. 15. nisi ad oues. &c. innuens nihil esse petendũ, quod ueræ obedientię officium uiolaret. Cũ passionis hora iam appropinquaret, eamq; orationis formã
Matt. 26. ędidisset Christus, quæ nostrę fragilitati in imminentis mortis periculo maxime conueniret, orãs,

Pater

Pater si possibile, est, transeat a me calix iste. Subiecit tum, ut obedientię victoriam faceret clariorem, Non sicut ego uolo, sed sicut tu uis. Cuius patris præceptis in mysterio redemptionis nostræ prorsus paruit deus filius, ut nobis quomodo pareamus ostenderet. qui ne uinum tamen parderemus infusa, quod dicitur, aqua, et omnem obsequendi fructum amitteremus, idem suis uerissimis, atq; certissis uerbis nos alibi docuit, id quod factis etiam comprobauit, nō suam se gloriam obediendo quesisse, sed patris. Ego, inquit, gloriā meam non quero, sed patris. Si glorifico, inquit, me ipsū, gloria mea nulla est. Et alio in loco nos de hoc clarius admonens, Sic luceat, inquit, lux uestra coram hominibus, ut glorificent patrē uestrum qui in cęlis est. Quod si ab hominibus laudem speramus, aut uanam gloriā consumpta hic mercede, uacuis olim uasis in conspectu altissimi tanq̄ uirgines fatuę apparebimus, grauissimam ab adueniente sponso repulsam passuri. Itaq; ne sciat sinistra quid faciat dextra. sinistrum est, obliquū, et prauum quicquid est carneum. Noli igitur cōspurcare et cōtaminare diuina humanis, sed seorsum a carne in abscondito obedias, et deus in abscondito reddet tibi. Atq; huc referri posse puto, quod scribit diuus Paulus, inquiens, Non is, qui

Ioan. 8.

Matth. 5.

Matt. 25.
Matth. 6.

Matth. 6.

Rom. 2.

in manifesto Iudæus fuerit, Iudæus est, neq; quæ in manifesto carnis circuncisio fuerit, circuncisio est, sed qui in abscondito Iudæus fuerit, is demũ Iudæus est, et cordis circũcisio est circuncisio, quę cõstat spiritu, nõ litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex deo est. Sit itaq; dominus et pars et summa hęreditatis nostræ, qui solus certam restituet hęreditatem. Nempe obediamus deo propter deum, quæ sola uera obedientia est: quæ eò regreditur unde cępit, et a ueritate profecta, in ueritatem tendit, eodemq; principio continetur, & fine. Quo quidem temperamẽto Diuus Paulus obedientiæ normam proposuisse uidetur, cũ seruis iuberet, ut dominis propter deum forent obedientes, ostendens plane deum, et illius iusti obsequii, quod a seruis pręstatur carnalibus dominis authorem esse, et remuneratorem. ut quicquid illius nomine factum apparuerit, ratum id ab eo, atq; acceptum iri non dubitemus. In quam sentẽtiam scriptum apparet in euãgelio, Beati eritis, cũ uos oderint homines. &c. propter filium hominis: gaudete, et exultate, quoniam merces uestra multa est in cœlo. Nam si debitam legibus pœnã, ut habet diuus Petrus, luentes colophizati patiamur, quę nobis gratia? legibus etenim hoc exhibetur, non deo. quẽadmodum nec illud quantũuis

Psal. 15.

Colloss. 3.

Luce. 6.

1. Pet. 3.

uis ſpecie pium ullam a deo mercedē promerebitur, quod aliquid hic terrenum uenetur, aut gloriæ, aut exiſtimationis humanæ, quod hypocritarum eſt, quibus illa dei uox competit, Recepiſti mercedem tuam: Sic enim maledicetur homini, qui non obedierit deo: id quod duobus modis contingit, uel cū dei præcepta aut ambiendæ gloriæ, aut aucupandi queſtus gratia in ſpeciē apud homines exequimur, de quo ſuperius nonnihil diximus. Cuius rei in ſingulis iudicium ſibi deus ſeruauit in diem iuſti iudicii promulgādum, grauiſſime interdicens: ne de cuiusq̄ in ea re animo temere pronunciemus, etiamſi in uniuerſum quod nos fecimus de hoc genere peccati, ut de oībus diſſerere non prohibuerit, aut in eo de quo etiam hominibus pronunciare permittitur, cum ueram obedientiam fucata obumbramus, et neglecto dei præcepto aliūde in quibus exerceamur, accerſimus, ad illam ſeueriſsimam diuinæ ueritatis ſententiā obſurdeſcentes, Fruſtra colitis me in mādatis, et doctrinis hominum, qui quidem mea uiolaſtis præcepta propter traditionem ueſtram. Matt. 6. Matthei. 15.

Quod ne fiat, prima nobis cautio eſſe debet, ut notam certam illam, et digito dei obſignatam teneamus, qua facile ab humanis diuina diſtinguamus, ne cōfundātur. Primū itaq; illud cōſtet, eloquia

quia dei, quæ in ſãctis ſcripturis ipſo ſpũ ſãcto dictãte ęditis continẽtur, certiſsimã dei uocẽ ad nos referre, ut ex illis intellegamus, diſcamusq; uolũtatẽ eius, eiuſdemq; præceptorum, et dogmatum certitudinem, ut eam uiam mandatorũ edocti, ad patriam recta tendamus ęternã. In illis ergo quid tandem pręcipitur? præcipiuntur quidem multa, quorum in ueteri inſtrumento quędam non ad animi pręcipue iuſtitiam, ſed ad populi conditionem relata, in hoc nouo populo in Chriſto renato, tanq̃ ſuccedente tenebris ueritatis luce, euanuerunt. quorum tractatio ſuperflua iam foret, et aliena, ut qui de iis dumtaxat præceptis dicere inſtituerim, que nõ uni populo deus, ſed per unum populũ cũctis gẽtibus decreuerat ſignificare, quorũ ne iota quidem unũ, aut apex præteriret. Quę quidem pręcepta a nonnullis moralia ſunt appellata, quæ etiam cum ad ſanctimoniam, caſtitatẽq; uitæ, ac morum pertineant, uim adhuc ſolidam, et integram obtinere cenſentur. id quod nos perſuaſum habeamus cum multis ex aliis locis, tũ ex illo præſertim euãgelii, ubi Chriſtus populũ docens tam aperte pronuntiat, non aliter ingreſſuros nos regnũ cœleſte, niſi iuſtitia noſtra, plus q̃ ſcribarum, et phariſeorũ abundauerit. Qua quidem ſententia etiamſi phariſeorum iuſtitiam non

Matthei. 5.

omni-

omnino probauerit Christus, ut pote humanam ſolum et carne tenus .i. externa factorum hypocriſi conſiſtentem, neq; ab illo manantem fonte ſpiritus, quem ſola dei gratia in eiuſdem Christi meritis facit irriguũ: nobis tamen hac collatione iudicaſſe uidetur et admonuiſſe de puritate morũ, quã in ſcribis et phariſeis lex exigebat, nihil per euangelii doctrinam remittere et relaxare ipſum, Sed illa uerborum ſignificatione etiam caſtitatis, et ſanctitatis fines longius proferre eiuſq; augmẽtũ, ac progreſſum in hac noua lege exigere uelle. Nã libertas, qua nũc per euãgeliũ donati ſumus, quęq; legẽ Moyſaicã ſuſtuliſſe creditur, non eò pertinet, ut moralium etiam præceptorum obliti, diſſolutam, ac turpem uitę cõditionẽ ſequamur. ſed ut uitiis liberi ſanctitati ſeruiamus, et quod dei uoluntas ad ſanctimoniam pertinere ſcripturis aliquã do inſinuauerit, id ſequamur, id amplectamur, in eo pareamus diuino præcepto, ut obedientię noſtrę, ratio queat conſtare. quorum quidem moralium in ueteri lege præceptorum, ut aliquot commemorem, nã ſingula numerare non eſt huius inſtituti, Leuitica illa de uetitis, inceſtiſq; coniugiis pręcepta ad caſtitatem, puritatemq; matrimoniorum attinentia, in quibus et humanę uitę conſuetudo tota continetur, et propagandę ſo- Leuitic. 18.

bolis

bolis origo consistit, eiusmodi sẽper sunt habita, quę Iudæis quidem tradita primum, quoniam essent ad illustrandam naturæ legem explicata, ad uniuersum ideo mortalium genus perpetuo pertinerent. In quibus haud dubie et naturę uox, et diuina iussio in unum conuenientes, quod ab utriusq; conditione diuersum esset, prohibuerunt. Inter hęc autem cũ illud de nõ ducenda uxore fratris pręceptũ contineatur, quid aliud debuit, aut potuit sereniſsima regis Angliæ maiestas facere, q̃ quod cũ sũmo populi cõsẽsu, suæq; ecclesiæ iudicio fecit? ut ab illicitis, diuulsa foederibus, licita, permissaq; copula frueretur, et dei pręcepto (ut par fuit) obtemperans, relicta quam nec ius, nec fas retinere permisit, casto, legitimoq; matrimonio indulgeret? Qua in re cum diuini uerbi sentẽtia suffeciſsset, cui omnes incunctanter parere debent, grauiſsimorum uirorum suffragia tamen, et celeberrimarum orbis academiarum censuras adhibere, nõ est grauata sacratiſsima regia Maiestas. Nempe ut quę facere, & posset, et deberet, ea eruditiſsimorum, et optimorum uirorum calculis, recte prorsus feciſse iudicaretur. atq; eiusmodi obedientiam in eo pręstitiſse, cuiusmodi diuini uerbi ueritas ab omni pio, atq; bono uidetur exigere, ut & deo paruiſse, et uere obediſse

De Regijs 2is Nuptijs, et diuortio.

bediſſe merito dici poſſet: de quo quoniam dicere aggreſſi ſumus, id quod commodum in hũc locum ſeſe obtulerat, nõ potuimus taciti prætərire. Sed redeamus ad inſtitutum, quod in eo potiſsimũ uertitur, ut oſtẽdamus eum demum uere obedire, qui ambulat in lege domini, nec a mandatorum uia diſcedit, ſed humili promptoq; animo diuinæ ſe uoluntati committit, ut dei authoritatem nunq̃ defugiat, ſed et ei ipſi obediat, et omnibus, quibus ipſe iuſſerit obediẽdum propter ſe. Nempe deus pro ſua in mortalium genus immenſa, atq; ineffabili bonitate ad augendum in nobis glorię cumulum, quo materiam nobis ſiſteret pręſentem, in qua cum pietate, et merito nos ipſos exerceremus, homines ſubſtituit, tanq̃ uicaria poteſtate obedientiam exacturos, quam illis nos pari cum fructu pręſtaremus propter deũ ac ſi deo ipſi immediate, id quicquid eſſet honoris exhiberemus. Quo certe in loco principes poſuit, quos tanq̃ ipſius imaginem mortalibus referentes, ſummo, ſupremoq; loco uoluit haberi, eosq; inter reliquas omnes humanas creaturas pręcellere, ut ſcribit diuus Petrus. Seq; authore eoſdem principes regnare, ut prouerbia ſacra teſtantur, Per me, inquit deus, reges regnant, adeo quidem ut ſecundum Paulum quiſquis poteſtati

1. Pet. 2.

Prouerb. 8.

Roman. 13.

testati resistit, dei ordinationi resistit: qui Paulus
Tit.3. quod hic generaliter locutus, Tito explicans mā-
dauit, ut admoneret uniuersos suis principibus o-
bedire. Sunt porro et alii inter homines etiā a deo
ad exigendam obedientiam constituti, sed or-
dine inferiori. Nam et marito uxor, et domino ser
uus, et quicunq; quibuscunq; subiecti sint, præpo-
sitis illis etiam obediāt propter deum. Vnde cer-
te accidere interdum hæsitatio solet, diuinæ legis
Inscitia. sensum, non recte callentibus, quū duorum præ-
positorum uno eodemq; tempore mādata dissi-
deant, et inuicem collidantur, ac manifeste repu-
gnent, utri primum, ac potissimū sit obediendū.
Verbi gratia. Mādat dominus seruo id, cuius di-
uersum eodem tempore, eodemq; momento
imperat princeps: quibus utrisq; cum obedientia
propter deum debeatur ex uerbo dei, utriusq; au-
tem imperium uno, eodemq; momento, ab u-
no eodemq; homine obiri rerum natura haud-
quaq̄ patiatur. Hic ut ab aliquo fortasse, qui sensus
non dum exercitatos habeat, subdubitari posset,
cuinam seruus obedire primum, et potissimum
teneatur: Ita ei qui in reliquis similibus causis a-
nima duerterit, ita natura comparatum esse, ut in-
feriora superioribus semp subseruiant, ac locum
dēt: hmōi quæstiōis enodatio statim patebit. Itaq;

in

in exẽplo proposito nõ dño seruus pareat, sed prí cipi, tanq̃ dño illi suo, supiori, ut cui dominus pa riter cũ seruo obedire teneatur. Quibus quidẽ ser uo, dño, atq; principe, cum unũ agnoscimus deũ superiorem, regem uidelicet regum, et dominũ dominãtium, à quo omnia, per quẽ omnia, in quo omnia eius utiq; præceptis omnes, primũ, et ante omnia parere debent, seruus, dominus, princeps: ut omnibus propter deum, nemini aũt extra eum nedum contra eum obedisse uideantur. Itaq; laudatur etiam uxor marito morigera, sed usq; ad aras, ut est in prouerbio. Melius est enim deo o- AA.5. bedire, q̃ hominibus. Ex his autem cum sit manifestum in obedientia ordinẽ esse seruandum, & ita cuiq; nos primum obtẽperare oportere, prout is ordine alium ac prerogatiua diuinæ legis testimonio precedat, operæprecium uisum est, de ordinũ gradu necessario dicturum. Illam etiã hic attingere causam, quę hodie ferme in manibus, et ore omnium uersatur, et celebratur: Num iure diuino uniuersi populi Anglicani consensus imitatur, quo inuictissimum, et potentissimum principem HENRICVM octauum Anglię et Franciæ regem, fidei defensorem, et dominum Hyberniæ, summum in terris caput Ecclesiæ Anglicanæ celebrat, et ueneratur, Eidemque in

publicis comitiis liberis ſuffragiis author fuerit, ut ſuo iure uteretur, ſeq; eccleſiæ Anglicanæ caput nō minus nomine q̄ reipſa profiteretur. Qua in re nihil noui latum eſt, tantum ſignificantiore uocabulo appoſito, competentem principi iure diuino poteſtatem exprimi clarius uoluerunt, eo potiſsimū conſilio, ut fucum illum a uulgi oculis amouerent, quem Romani epiſcopi ementita poteſtas, aliquot iā ſeculis obduxerat, nō citra principis poteſtatem uehementer imminutam: quam ſaluam omnes, et ab iniuriis ſartam tectam optare tenentur, et pro uirili præſtare. Qua quidem in re certè non uideo, cur quenq̄ offendat, principem Anglicanæ eccleſię caput dici: magis q̄ regni Anglię caput. Hic iam te appello candide lector, ut ſepoſitis interim appellationibus, rem ipſam conſideres. Neque enim ignoro utriuſq; appellationis uim et eccleſiæ uocabulum non quāuis congregationem, niſi cū adiectione (ut odiui eccleſiam malignantiū) ſignificare: ſed eā demū populi multitudinem, quę Chriſtiana profeſſione unita in unum corpus coaluerit. Hoc enim uſus obtinuit, ut eccleſię appellatio, alioqui cōmunis, excellentioris tamen corporis propria efficeretur. Regni uero appellatio latius patet, omneſq; principis dominio ſubiacentes complectitur, quicunq;

cunq; fuerint, et qualescũq; Iudæi, Barbari, Saraceni, aut Turcæ, nedum Christiani. Cęterũ cum in hoc, de quo agitur, ita se res habeat, quæ significetur, ut utriq; appellationi ex æquo respondeat, atq; ex eisdem hominibus hodie ecclesia constituatur Anglicana, qui sub regni uocabulo continentur, quorũ caput dicitur princeps: sub appellatione regni Angliæ non erit, etiam eorundem hominum caput cum ecclesia designãtur Anglicana? Ita ne uero uerba, cum tantum eum usum habeant, ut sint rerum notæ, eatenus in hac causa ualebũt, ut etiam rerum ipsarum naturam inuertant? ut pro nominũ uarietate alius, atq; alius homo in existendi ratione idem censeatur? Equidẽ non sum nescius relatione nominum nonnunq̃ mutari officia, atq; eundem hominem prout alio, atq; alio nomine afficiatur, partes etiã nomini cõuenientes subire debere. Verũ enimuero si princeps caput regni est, quod perinde est, ac si dicas, omnes quotquot intra regni ditionem sunt, tanq̃ uni corpori in existentes adglutinatos habeat, ut illis pro capite præesse uideatur: an ullo modo fieri potest nominis mutatione, ut idẽ homo subsit capiti huic, et non subsit capiti huic in eodem genere subiectionis, nempe propter deum? Nam cõtra deum nulla est subiectio. Quã ridiculũ igi-

sur illud, ut eundem hominem, quem si Ioannem libeat uocare, in Anglia commorantem, principi tanq̃ capiti subesse fatearis, hũc si uoces christianũ eodẽ modo subesse neges? etenim quatenus in Anglia cõmoratur de regno est, quatenus uero christianus est in Anglia etiam commorãs, de ecclesia anglicana esse censetur. Caput inquiunt princeps est regni, non ecclesię: cum tamẽ ecclesia Anglicana nihil aliud sit, q̃ uirorum, et mulierum, clericorum, et laicorum in regno Angliæ commorantium, in christiana professione unita congregatio. Ecclesia uidelicet merito appellanda, quia communio sit christianorum, a loco uero, Anglicana, sicut & Gallicana, Hispana, atq; etiam Romana. Itaq; qui principem regni quidem caput fatentur, ecclesię tamẽ, si diis placet, in eodem regno congregatę non concedunt (quę est eorum siue insciția, siue malicia) illud apertissime innuunt principem caput esse infidelium, fidelium non esse. nisi ipse princeps sit infidelis, ut aut infidelis princeps fideli siue infideli populo imperet, aut idem princeps Christianę se iungens ecclesiæ, omne deinceps imperium, et potestatem deponat. Quenquàm reperiri, qui hoc ínnuat, satis certe mirari non possum, et tamen qui aduersantur, quid aliud dicant, non inuenio: Firma

mamentum aliud allegationis adferunt nullum, q̃ quod nullo pacto consistat, et sibi constet. Caput inquiunt, regni est princeps, non ecclesiæ. O dictum absurdum, atque stolidum. Quasi uero quia populus iam cępit fidere deo, iustissima causa sit, cur amplius non subsit principi, dei uicario, sed ab eius corpore omnino eximatur. At non ita docuit Paulus, qui dominorum ius in seruos Christi professione tradidit, non immutari, aut minui, sed integrum adhuc dominio conseruandum admonuit, seruis prȩcipiens, uti carnalibus dominis sint obedientes propter deum. Vxoris ad fidem conuersio nihil detrahit imperio mariti, utpote qui caput adhuc manet uxoris, quæ etiam ne post fidei professionem, prȩposteri ordinis argumentum ædat, quod aliquorum animos abalienaret a religione, censuit Diuus Petrus, ut uxores fidem professę, omisso prædicandi munere, quod uerbis exequerentur, lucrifacerent sine uerbo maritos per castã cõuersationem. Ergo authoritas dñi in seruum, et in uxorem ius capitis marito religione non perit, et peribit principi? qui cum quandam dei imaginem in terris etiam infidelis dum est, refert ut caput, et dux populi dicatur, professione Christiana statu minuetur, nec amplius caput illius populi, qui ecclesiam con-

Colloss. 3.

1. Pet. 3.

constituit, dicetur, sed quò propius ad deum per fidem, qui unicus est aditus, accedit, hoc longius a dei imagine recedet, atq; hoc minus populo uenerabilis esse incipiet, quo nomine uel maxime debeat honorari? Certe si caput est populi, idq; diuina ordinatione, quod nemo non fatetur, etiã tum cum populus simul, et princeps a deo per infidelitatem q̃ longissime disiungũtur: quãto magis nunc cum in unam fidei professionem, non sine diuina uirtute coeuntes, ecclesiam eo pacto constituerint, nomen capitis debeat retinere? ut ecclesiæ illius caput adhuc merito habeatur, dei iã uices multo clarius referẽs, q̃ olim dum in tenebris infidelitatis uersaretur. Paulus sine distinctione, iubet iis obedire principibus, qui gladiũ gestant. Diuus Petrus de regibus loquitur nominatim. Christus ipse iubet tributum solui Cæsari, et discipulos increpans, qꝑ de maioritate contenderent. Reges, inquit, gentium dominãtur eorum. ostendens plane in tanta graduum, ac ordinũ uarietate, quibus deus hunc mundum ornat, dominium, atq; imperium ad solos prĩcipes pertinere. Sed dicet mihi hic aliquis: In eo laboras, de quo nemo dubitat. Nam principi esse obedicdũ quis unq̃ negauit? certissimũ quippe est, eum qui principi non obedierit, morte esse multandum: ut in ue-

Roman. 13.

1. Pet. 2.

Matthei. 23.

Matthei. 23.

in ueteri lege est comprehẽsum, atq; adeo in noua cõfirmatum. Sed uidendum, inquiet, est illud, ne terminos positos transilierit princeps, tanq̃ de finibus regendis adhibẽdus est arbiter. nam deberi obedientiam certum est, quatenus autem sese proferant obedientiæ exigendæ limites, totũ quicquid esse poterit quæstiõis cõtinetur. Quosnam mihi limites dicis, cuiusmodi scriptura nullos dicit? sed generaliter de obedientia loquens, quam principi subditus, uel marito uxor, uel domino seruus præstare debeat, nullam uel syllabam exceptionis subiecit, præterquam quæ dei obedientiam integram conseruaret, ne ulli mortalium uoci cõtra deum auscultemus. alioquin plane indiffinita oratio est, quæ mandat obedientiam uniuersali ex æquo pollẽs, ut frustra mihi limites nomines, qui nullo scripturæ testimonio comprobentur. Nobis quidem præcipitur, ut obediamus. In eo nostra functio est. quam si obire cum gratia dei, et hominum uolumus, animi humilitatem exhibeamus oportet, imperia quantumuis grauia propter deum subeundo, non quid aliis imperare prĩceps, dominus, aut maritus debeat, aut possit inquirendo aut quæritando. qui si aliquid sibi amplius q̃ æquũ et iustũ fuerit, aut ipsi arrogauerint, aut delatum susceperint, dominum habent,

cui aut ſtant, aut cadũt, et qui de illis ſit olim iudicaturus. Attamen dicet aliquis, etiam de hoc dicente in initio es pollicitus, quod nunc reiicere conaris, propoſiti ut uidetur oblitus. Imo inquã nõ reiicio, ſed ſatis eſſe cõfirmatum aſſeuero ex ſuperioribus, principi obedien dũ eſſe ex prȩcepto dei: et obediendum quidem ſine exceptione, ut pote cuius nulla fiat mentio in illa lege, cui ſi addideris quippiam, aut dempſeris, impius fis. Quid igitur ultra quærimus? Nam ſi ad cõmodam interpretationem generalis illius de obedictia eloquii deſcendamus, et ſcripturam ſcripturę conferentes collatione, et comparatione, uerum et genuinum ſcripturæ ſenſum elicere conabimur, id quod à ſãctiſsimis, et doctiſsimis uiris fieri et ſolet et debet: non plane uideo, cur inferiores diſcedamus. Itaq; conſideremus, quid referant ſcripturæ, quæ ex aduerſo proferuntur. Obedite præpoſitis, inquit Paulus ad Hebrȩos, quem locũ, et item caput decimumtertiũ ad Romanos de poteſtate pont. quã uocant eccleſiaſticam interpretãtur quidam. Item in actis apoſtolorum, Attendite. &c. in quo uos poſuit ſpiritus ſanctus regere eccleſiam dei &c. Ac ne quid prȩtermittamus, etiam illud non omittamus, quanquam alium ſẽſum habet, quod diuus Petrus de regali ſacerdotio loquitur. Nam

illud,

illud, Quodcunq; ligaueris, aliò pertinet, et illud: Pasce oues: prętergq; quod à Christi ore processerit, non amplius quicquam continet, q̄ quod de regenda ecclesia mandatum fuisse iam indicauimus. Hæc et si qua sūt similia etiam eo sensu intellecta, quo isti uolunt, nimirum ut episcopis, & uerbi dei ministris in ecclesia obediatur, regię potestati quo minus etiam ad capitis usq; appellationem in ecclesia porrigatur, nihil aduersantur. non magis certe q̄ principis obedientiæ detractū esse quippiam, aut diminutum in eo existimemus, ꝙ uxor marito, et seruus domino obedire, sub generali quadam pronunciatione iubentur. Nam quemadmodum apud iurisconsultos, ut loquūtur ipsi, iurisdictiones interdum uariæ ab eodem manantes non se inuicem perimunt, sed mutuis auxiliis consistentes concurrūt. Sic ꝙ apostolis, & iis, qui in eorum locū succedunt regimen ecclesiæ cōmittitur, nulla in parte id quod ante a deo principibus cōmissū est, tollere, minuereue censeatur. Neq; minor sane est parochi cura parochianorū, ꝙ curare etiā debet episcopus, nec episcopi iurisdictio ideo nulla putetur, ꝙ supiorē agnoscat archiepiscopū. Regit enī ecclesiā suo gradu atq; ordine pochus, episcopus, archiepiscopus. Quēadmodum itaq; in iis suo quisq; munere fungens,

non detrahere ſibi inuicem, ſed auxiliari uidetur, ſic ꝙ apoſtolis, et qui in eorū locum ſuccedūt, regimen eccleſiæ commiſsum reperitur, id quod antea a deo principibus cōmiſſum eſt, haudquaq̃ tollitur. Sed qm̃ regimen multa opus habet, doctrinam in primis uidelicet, et prę eminentiam ſecundum uariam diſtributionem donorum, aliis doctrinæ munus, et ſacramēctorum miniſteriū in eodem corpore mandauit deus, aliis uero præeminentiam, non ut aduerſentur quidem, ſed quēadmodum uaria in eodem corpore membra, ſic in regimine congruenter conſentiētia ſint, ac ſuū quisq; munus obeat cum charitate. Sed audio hic obſtrepentes quoſdam, et magna quadam cum ſeueritate obiurgantes, ꝙ noua potius diſtinctiōe uti maluerim, q̃ trita illa, quæ regimina tam commode, ut iſti putant, ſecat principis uidelicet, et eccleſiæ, nimirum ut illud ſit temporalium, hoc ſpiritualium. ſecundum quam diſtinctionē̄ princeps tanq̃ luminare minus ea curet, quę ſunt noctis, cætera quę ſunt ſpiritus, et diei, ſoli ſoli relīquat perluſtranda. Caliginoſa ſane diſtinctio, et tenebrarū plena. Nam ſi principi Chriſtiano regis adhuc nomen relinquis, ut dei uice in terris nō præeſſe ſolum populo, ſed ipſum etiā regere, atq; adeo dirigere teneatur: primum quæro, quam tā-

Roman. 13.

dem

dem uiam insistet regendo rex christianus, ut ducat populum christianū, ueritatis ne, quę ducat ad uitā, an mendacii, quę properet ad mortem? Nā media uia nulla inuenitur. Si ueritatis? quam mihi solam curam narras rerum temporalium, scriptura clamāte, Primum querēdum esse regnum dei, cętera uero non quærenda, sed adiicienda dei benignitate? scilicet in priuata cuiusq; solicitudine quęrēdum est Regnum dei, et in principis administratione negligendum, aut saltem nō curādum? Illud est certe cū uererentur boni hoies, ne quis aliquando rex nimiū sanctus futurus sit. hic uidelicet ne uirtutis uestigia altiora imprimat, bello scilicet cōmento, cauendum putarunt principis quidem munus ita circūscribere, ut nihil ipse habeat pensi, sui ciues boni ne sint, an etiam nō sint, bonitate quidem christianæ professioni congrua, modo non prorsus nephandis sceleribus, ac facinoribus sint ita infamati, ut ab hominum natura degenerasse uideantur. Iraq; ne furentur, ne occidant, ne uim bonis inferant laici, id uero curet rex. Adulteria autem, et his deteriora, ac quęcunque faciāt ii, quorum titulus, et uestis diuersa persuadeant, quantumuis enormia securus neglegat. Sunt enim spiritualia, id est spiritualiū hominum uitia, de quibus regem iubent esse securum: ut cui

satis sit populum in tẽporalibus regere, nec aliud
prẽterea quicq̃ ad illius notionem pertinere, hoc
uidelicet est regere ad interitũ expeditissima pla-
ne uia, q̃ longissime ab illius munere diuersa, qui
in regendo populum in terris dei uicem referat.
2.Reg. An hoc est pascere populum? quo uerbo scriptu-
ra ad reges utitur. Multo certe aliter cum summo
applausu curã principis in moribus ecclesię corri-
Dunstan ℣. gendis Dunstanus sanctissimus, atq; optimus uir,
Cantuariensis olim archiepiscopus interpretatus
Gladius gladio copulandus est, qui eã regis uocem libẽter amplexus est, qua
se gladium gladio copulaturum edixit: ut disso-
luti ecclesiæ mores ad rectam uidendi normã ap-
tarentur. Altero gladio ad illud alludens Pauli,
quem uerbi ministri docendo, et excõmunican-
do exercent. Altero præeminentiam ostendens
iure diuino concessã, cui omnes parere, quotquot
principis ditioni subiecti ecclesiam cõstituunt, o-
mnino debent. Mãdatur enim principi, ut popu-
lum regat: ipsosq; principes officii commonefa-
Psal. 2. ciens alloquitur propheta, Et nunc reges intelli-
gite, erudimini qui iudicatis terrã. Quòd si istorũ
interpretationem recipimus, hoc tantum intelle-
gant, nihil aliud erudiantur principes, quàm ut
negligant fere omnia, hoc est mediam popu-
li partem ne respiciant quidem, si nomine et ha-
bitu

bitu domino mancipẽtur, in reliquam aũt partem eatenus animaduertant, non ut ab omnibus faci-
noribus abstineant, sed a quibusdam. Ast longe
alia est prophetæ interpretatio, quam subdit, Ser-
uite domino in timore. hoc nimirũ quid sit, no-
bis intelligendum est, atq; ex ore dei discendum.
Os autem dei in sanctis tam ueteris, quàm noui
testamenti scripturis patet. De regis Salomo-
nis administratione sic refert scriptura: Con- 2. Parali. 28.
stituit Rex Salomon iuxta dispensationem patris
sui officia sacerdotum in ministeriis suis, et le-
uitas in ordine suo, ut laudarent, et ministrarent
coram sacerdotibus iuxta ritum unius cuiusque
diei, et ianitores in diuisionibus suis per portam,
et portam. Audis hic Salomonem regem eti-
am sacra curasse, non temere, sed ex prescrip-
to patris Dauid: de quo Deus per prophetam
protestatur inuenisse se hominem secundum cor
suum. Itaque etiam illa de Salomone historia
contextum habet, quod sequitur, Sic enim præ-
ceperat homo dei, nec prætergressi sunt de man-
datis regis quicquàm, tam sacerdotes, quàm le-
uitæ ex omnibus quæ præceperat. Quid hic
commemorem solicitudinem regis Iosaphat, 2. Paral. 19.
qui supremum illud in Hierusalem sacerdotum
ac principum familiarum tribunal constituit?

In

In qua tandem potestate fecit nisi regia? muneris sui ducens esse, diuina se potius curare debere, q̃ humana. Quæ deniq; audacia fuisset Ezechię regis, primo protinus regni sui anno, atq; adeo primo mense, ita se diuinarum rerum administrationi imiscuisse, si nõ regii tum muneris à deo traditi disciplina id exigisset? Vt uidelicet rex a deo constitutus, qui spiritus est ęternus, spiritualia, et æternà potius, ac priori loco curaret, q̃ corporalia, et tẽpore peritura? Ezechias ergo ipse, de quo tam celebre extat elogium, ut non fuerit alius ei similis, qui seruaret omnia pręcepta domini in cũctis regibus Iuda. Volens uidelicet requirere dominũ in toto corde suo, id quod fecit, et prosperatus est, ut habent scripturæ uerba. 2. Pa. 29. hic inq̃ Ezechias quid fecit? In ipso sane primo anno, et primo mense regni sui, non modo instaurauit ualuas domus domini, sed etiam sacerdotes ipsos corrigere, atq; adeo uiuę structurę ruinas reficere conatus est. Nempe sacerdotes in plateam orientalem congregatos, non solum admonuit neglecti officii, sed tanq̃ potestatem etiam habẽs, Audite inquit, leuitę et sacerdotes, sanctificemini et mundate domum domini dei uestrorum patrum, et auferte omnem immunditiam de sãctuario, &c. Qui quęso potuit hic maiore cum imperio

2. Parali. 29.

perio loqui? Neq; enim more hortantis locutus est, quomodo inferiores, aut æquales solent seipsos, quò leuior sit oratio rei gerendę communicantes, quod genus orationis pius interdum affectus etiam ī aliena re exigit: ad quem modum si Ezechias loqui uoluisset, nō sanctificemini, sed sanctificemur, non mundate, sed mundemus, nō auferte, sed auferamus: aut si rei natura communionem non pateretur, a priuato illa optanda fuissent, aut indicanda, cui quidem certe neq; exigēdę rei se coniungere, ut exhortetur, neq; pro imperio mandare licuisset. Cęterum Ezechias optimus princeps de regio officio cura, atq; administratione à deo edoctus, oratione ad sacerdotes eiusmodi usus est, quæ loquentis authoritatem referret, et potestatem. Itaq; imperandi modo, Audite, inquit, mundate, atq; auferte. Illi etiam sacerdotes, ut in eodem loco habetur, tanq̄ iustum regis mandatum exequentes, imperio paruerunt. Sic nimirum eruditi fuerunt reges illi, qui suum ex diuina authoritate munus in populo dei plene atque perfecte obierint. Quę etiam a principibus deus nunc multo magis est exacturus: ut audita prophetæ uoce ad eruditionē huiusmodi amplectendam, exhortantis in regendo populo, domino seruiant cum timore, et tremore. Vt populū

non qualemcunq; ſed domino dignum, et acceptabilem, quo ad eius facere poſſunt, exhibeant, ſicque fideles diſpenſatores reperiantur in die illo, in quo rationem ſuſceptæ adminiſtrationis ſunt reddituri. Audiant itaque ſapientem ſapien. 6. Audite reges, et intelligite, præbete aures ueſtras uos qui continetis multitudinem, quoniam data eſt a domino poteſtas uobis, et uirtus ab altiſsimo, qui interrogabit opera ueſtra. Quare non tanquàm pigri, negligentes, et ocioſi uerſentur principes, ſed iugi in timore ſeruiant. Nam tanto magis ſoliciti eſſe debent ex munere dato, ut quidam ſcripſit, quanto ſe obligatiores eſſe conſpiciunt in ratione reddenda. Magnum ſiquidem talentum eſt principibus à deo concreditum: nempe ut populum non ſolum regant, ſed recte etiam regant: non in una aliqua parte, ſed in ſingulis. Sicque uineam domini, quam colendam ſuſcepiſſe uidentur curare, ut non arceant ſolum, quod noceat, ſed repurgent etiam, atque repaſtinent, nec ullum genus culturæ prætermittant, quo fructum proferat uinea uberiorem, a patrefamilias ſuo tempore repetendum. Quis enim facultatibus ſufficiat principibus illud cauere, ut cum ipſi omnem in ſe regendi populi curam deo authore

ſuſcepe-

ſuſceperint, paciſci deinde ipſis liceat ut partis maioris cura ſit alterius, ipſi interim tāquam belle defuncti, in utranque aurem dormiant ſecuri? Scilicet quam uocem præſentis reuerentia uirtutis, non ueritas poteſtatis aliquando expreſſerat, eam deinceps etiam ſi ab homine ſic affecto emiſſam ad eludendam diuinæ authoritatis curam uſurpabunt? nempe illud Conſtantini dictum, Ego uos non iudicabo, a quibus debeam ipſe iudicari? Deus generaliter loquitur, neminem excipit, populum credit principi interdum malum malo. Si bonum aliquando populum principi bono, certe tanto magis credit, ut uniuerſo populo ſecundum dei præcepta, non uni populi parti ſecundum traditiones hominum præeſſe credatur. Qui populus una fide Chriſti conglutinatus, ſi eccleſiam conſtituat, quid habet abſurdi, ut princeps, qui illius populi caput dicitur, eccleſiæ etiam, quam populus ille conſtituit, caput uocetur? Dices fortaſſe, ſolus CHRISTVS caput eſt eccleſiæ. omnes fatemur, qui quidem alioqui ne eccleſiam proprie conſtitueremus, niſi malignantium. CHRISTVM ſane eccleſię caput agnoſcimus, atque in cœlo regnantem cum patre, quem aduocatum habemus ad patris dextram aſ-

sidentem, ac intercedentem pro nobis. Quatenus autem Christus mediator dei, atq; hominū, ipse deus, et homo, caput ecclesię est, non recipit ea ecclesia adiectionem, cum neq; Anglicana sola sit, sed etiam Gallicana, Hispana, neq; non Romana, quippe nullo loco circumscripta, sed quocunq; terrarum etiam apud turcas, si cubi suos sibi filios obsignauerit deus, à quo, ut est in euangelio, omnes trahuntur, quibus dedit potestatem suos fieri filios. Itaq; sit hoc extra controuersiam, de quo uel contendere, ne dicam disceptare, sit impium. Atq; ut hoc remoueatur, et ne qua causa calumniandi remaneat, et uerbo caput additur in terris, et uerbo ecclesiæ adiicitur Anglicanæ. Cuius quidem ecclesiæ Anglicanæ supremum in terris caput, quoniam id scripturæ, et rationes comprobant tanq̄ principis et regis appellationi inexistentem, rem eam quoq; uerbis apertis exprimendā duxit populus Anglicanus uniuersus, plebs, patresq;, atq; etiam ii, qui ab illa iurisdictione immunes, temporis, non ueritatis præscriptione habebantur. Quid ni enim consentirent ueritati? Neq; profecto deterrere quicq̄ potuit, aut debuit uerbi nouitas, et insolentia: postq̄ enim rē ipsam, quę nomine exprimebatur, non modo ueram, sed etiam ueterem fuisse appareret, Iudicii, non

Verbi caput minuit, minuit, nouitatem excusat.

non temeritatis fuit, ut insigne aliquod nomen proponeretur, quod oscitantes quorundam animos, languidaq; iudicia ad ipsam ueritatis considerationem excitaret, ipsoq; nomine admonerẽtur subditi, principem totius populi principẽ esse, nõ partis, ipsumq; populi corpus in ecclesiam coalescens non mancum esse, aut truncum, sed eodem principe tanq̃ capite constare. cuius muneris sit non humana solum, sed multo magis diuina curare, cuiq; uidelicet corporis membro commoda distributione suas functiones mandare: ut ipse oculis, auribus, et ore iuxta solicitudinem, qua dono dei prçest corpori inseruiendo, et sui quẽq; muneris cõmonifaciẽdo officiũ obeat eiusmodi, quod à christiano pricipe christiano populo præsidente, deus sit haud dubie olim exacturus. Atq; hęc quidem de nominis nouitate. Nam ipsa alioqui res, et multa, et grauissima habet exempla, nõ ea modo quę ueteri lege testata supra recẽsuimus, sed plcraq; etiam alia, non cum illis quidem pondere, et grauitate conferenda, quæ diuina authoritate nituntur: Verumtamẽ quoniam ad causam pertineant, nõ omittenda. Itaq; quis unq̃ improbauit Iustiniani factum, qui leges æ didit de summa trinitate, et de fide catholica, de episcopis, de clericis, de hęreticis, et cæteris id genus? Quas

certe leges aut frustra tulit, aut curam se etiam illius, quæ purior, et sanctior esse deberet (id quod profitetur) populi partis habere interpretatus est. Veritatis re uera iudiciũ in hoc assecutus. Quoties autem legimus causas hęreseos apud Cęsares et principes agitatas, ipsorumq; examine discussas fuisse? Si antiquas Anglorum retro principũ leges excutiemus, q̃ multas reperiemus ad religionem, et ecclesiam pertinentes ipsorum Regum iussu, et authoritate latas, promulgatas, ac demandatas executioni? Imo tanq̃ defensores inquiunt ecclesiæ, non ut authores et capita huiusmodi statuerũt. Quis igitur interim caput fuit? quis prę-fuit? Cuius fuit pręcipua soliçitudo? Scio quid respondebunt: Nempe Romani episcopi. post uidebimus hoc. Interim certe concedatur necesse est regiam dignitatem summis in Anglia episcopis semper præfuisse, et sub nomine defensoris ecclesiæ (quo titulo Reges etiam donati sunt ab iis, qui minimum tribuerunt) ea præstitisse, et exhibuisse, si non in omnibus, certe in quàmplurimis, quæ capitis dignitatem, atq; officium in ecclesia referrẽt. Defenderũt nãq; principes ecclesiam, quomodo caput tuetur corpus, atq; defendit. Cunq́; hodie passim accidere uideamus, ut rẽ ipsam in multis negligentes: aliqui nomen tamen ambiant

ambiant. Illi principes contra, re atq; officio tales, qui capita dici merito debuissent, a capitis uocabulo tantum abstinuerunt. Illi enim de hæresi, in qua prima, et præcipua functio est, sua authoritate, suisque legibus inquirendum statuerunt, quod et hodie est, et perpetuo usq; ad hæc tempora fuit obseruatum. Iam uero episcopis ipsis, et clericis multa permiserunt, multasq; illis immunitates concesserunt, quorum certe concessio abūde magno argumento esse debet, aut frustra hactenus principes de re aliena rogatos fuisse, quæ nihil ad eos pertineret, dedisseq;, quod ipsi non haberent, quod plane absurdum est, aut eorum quæ concesserunt exercendi potestatem habuisse, atque ideo de suo iure eatenus discessisse, atq; remisisse. Quæ cum ita sint, fuerunt reipsa quidem capita semper principes, etiam tum cum defensores dumtaxat appellarentur, si id est caput esse corpori præesse uniuerso, ac singulis eius membris, quod in usum cederet uniuersi mandare, remittere nonnunquàm et indulgere, sicque singula moderari, et temperare, ut dei gloria fideique professio indies augeatur. At enim dicent isti, Romanum Episcopum tanquam uniuersalis ecclesiæ caput agnouerunt principes, huic honores supremo capiti

capiti pares habuerunt, huic se submiserũt, huius authoritatem agnouerunt, hunc pro patre uenerantes, filios contra se ab hoc appellari gloriati sunt, ut si a factis ius estimemus, et ad iuris probationem satis fuerit facta docere, ut quicquid aliquando factum apparuerit, id etiam iure factum esse omnino fateamur: potior erit haud dubie causa Romanorum episcoporum. Nolim uideri à quo longissime absum tam uanus, aut impudens, ut dissimulem quæ facta sunt, nedum negem. & tamen cũ hęc concesserо, quæ negari non possunt, uidetur mihi, ꝙ quemadmodum uirtus etiam tum cum maxime deiicitur, uiciisq; obducitur, uim tamen suam alicunde ostendit, ut oppressam in pręsentia, non plane extinctam intellegamus: Sic in mediis iis factis, quæ principis iuri, atq; authoritati derogasse uideantur, uelut è longissimis tenebris lux quædam ueritatis semper emicuit, ex qua propius, ac certius intucti, licuit deprehẽdere, non fuisse hęc facta solida, integra, iustisq; fũdamẽtis ĩnixa, sed speciosa magis q̃ uera, & honoris fœnerati, potiusq̃ soluti argumenta. Etenim si illa unq̃ opinio principum animis penitus insedisset, Romanum episcopum Christi in terris uicarium fuisse, hoc est omnibus esse a deo caput constitutum, cui parerent omnia, omnia obedirent

bedirent, sine quo nihil usq̃ sanctum haberi debeat, nedum sacrum, cuius benedictio prospera, maledictio semper aduersa daret, aut si hoc ipsis adeo Romanis episcopis sic se habere persuasum fuisset: Neq; ipsi Romani episcopi quæsitis artibus et humano ambitu potius q̃ solido diuinę ueritatis testimonio, si quod huiusmodi pferre potuissent hactenus in defendēda authoritate usi fuissent, neq; principes illi suis quisq; temporibus illam ipsam authoritatem, quā uocabulis, et appellationibus concedere uidebantur rebus ipsis, et factis non clam, sed aperte sic imminuere ausi fuissent, eorum certe principum, quorum summam in deū religionem, illis in sāctorum numerū relatis, orbis iam post funera colit, et ueneratur. Nēpe si episcopo Romano curam totius orbis a deo commissam maiores credidissent, quæ tandē audacia eos impulerit, ut tam multa statuerent curæ illi, et eius prætextu uenditanti se potestati aduersantia, atq; contraria, et ut alia multa fecissent, illud certe quod tamen fecerunt, nunq̃ fuissent ausi facere, ut quem a deo speculatorem ad uidendum in eminentiore loco positum existimassent, huius oculos ne prouiderent impedire, obicemq; opponere uoluissent. Aequū fuit credo tantam diligentiam in dei uicario improbare, qui cura uide-

licet, ac ſolicitudine omnium eccleſiarum affectus, ne paſtores deeſſent populo, triplici interdũ ſubſtitutione prouidit. In ſuperiorẽ quidem, aut aduerſus eum nulla legis latio legitima eſt. Inferiores enī nō præſcribunt iis qui prę ſunt: ſed neq; eorũ adminiſtrationi quãtumuis iniquæ, et graui, frena iure imponunt. Itaq; maiores noſtri retroq; principes, qui maturo conſilio in publicis conſiliis cum ad conſultandum de repub. conueniſſent, illam in Romanis epiſcopis oculorũ aciem ne prouiſionem ſuam ad nos uſq; intenderent, ę ditis legibus arcendam cenſuerunt: nec ſuę interim conditionis inſcii fuiſſe uidentur, nec illius poteſtatis originẽ, atq; naturam prorſus ignoraſſe. quorũ in ea re & iuditia, & fcã epiſcopi Rom. adeo nō impbanda exiſtimauerũt, ut principes ipſos, qui hoc et ſtatuerunt, et obſeruarunt non modo non reprehenderint, ſed acceptam etiam cladem diſſimulantes, a fide atq; obedientia laudarint. homines nimirum cauti, et prudentiores in generatione ſua, callidos in hoc negotiatores imitantes, qui ex inutili ſtipulatione cum dimidium uix auferant, diſcedunt tamen quieti, id omne lucro quod acceperint, deputantes, cũ nihil iure potuiſſent uendicare. Maiores autem noſtri cum Romanorum Epiſcoporum authoritatem ex fructibus deprehendiſſent.

hendissent, nec dei uicarium iudicassent, ita putauerunt, tollerandam prẽcariam illam authoritatẽ quidem cum moderamine, sic enim ratio tũ ferebat non abiiciendam, sensisse certe nobiscum se, æditis factis apertissime significauerunt. Cẽterum ut est cuiusq; animi magnitudo, ita uel suum uendicat, et præsente animo utitur, uel oblata utilitate cõtentus, cætera dissimulat aĩ securus. Quæ cum ita sint, nihil est quòd moueant reliqua facta quãtumcũq; in specie aduersantia, quibus iuri diuino haud potuerunt derogare, suamq; potestatẽ temeritate minuere, aut negligentia. Appellarint sane episcopos Romanos patres, appellarint capita, ornarint quibuscunq; præterea nominibus, ueritas certe rerum erroribus gestorum non uitiatur. Fuit olim Romana ecclesia uel sanctimoniæ specie, uel potestatis amplitudine nõ modo magni nominis, uerum summæ etiam authoritatis. quum authoritatem dico, Tullii sensum sequuor, qui in testimoniorum pondere ingeniosis, et opulẽtis propter uulgi iudiciũ, etiã si interdũ nõ rectũ, ut ipse ait, tñ quia nõ facile mutatur, tribuit authoritatẽ. Nã alioquĩ authoritas, quæ diuino iure cẽsetur Ro. episcopo nulla est apud nos quidẽ, quẽadmodum nec cuiusquã externi episcopi. Neq; hic ueritati afferat prẽiudicium, q̃ uariis consiliis

antehac homines in ſpeciem fecerunt. nempe uel inſeruientes ſuę utilitati, uel tempori cedentes, aut ignorantia occupati. uincat modo ueritas diuini uerbi, quę ſi iſtis Ro. epiſcopis nihil concedit amplius, q̄ cęteris epiſcopis, uidelicet ut commiſſam in ſua dioceſi plebem diuini uerbi, et ſacramentorū miniſtratione alant, et paſcant, ne pręſcribatur tempore, ueritati diuinę, nec iudicentur principes, aut populus ignorantia occęcati, calliditate circumuenti, aut utilitate rerum capti, aut deniq; quouis alio reſpectu inducti feciſſe, quod facere nullo pacto debuiſſent, aut potuiſſent. An quia conſulere epiſcopum Ro. in regēda eccleſia moris fuit, illo id propterea inconſulto nihil agere liceat? et quia principes eos a ſuis conſuli permiſerūt, propria eo pacto iurisdictione ſe exoluerūt, quam a deo commiſſam nō licet abdicare? Quę pręteritis temporibus confuſa ſunt, reuocentur ad amuſsim uerbi dei, expendantur utriuſq; poteſtatis fundamenta, et quemadmodū principis ampliſsimam poteſtatem non corrogatis, aut eblanditis populi ſuffragiis quęſitam, ſed a deo collatā diuini uerbi teſtimonio ſupra oſtendimus, etiam num idem deus epiſcopo Romano aliquam poteſtatem conceſſerit, quę ſupremę principum poteſtati debeat derogare conſideremus. Qua in re

non

non est quod in scrutādis ueteris testamenti scripturis detineamur, in quibus sacerdotes summis principibus subditos fuisse, et supra nonnihil attigimus, et multis aliis locis est manifestissimum. An non Aaron Moysen ꝑ domino agnouit, quę est appellatio imperium agnoscentis? Nunquid eodē subiectionis uocabulo usus est Achimelech summus sacerdos, cum loqueretur ad Saul regē Israel? Nonne Salomon in summum sacerdotē Abiathar etiam capitali sententia animaduertit? Quid quod Alexāder rex, ut est ī libro Machabeorum, scripsit Ionathæ, dicens? Nunc constituimus te hodie summum sacerdotem gētis tuæ. An non hæc satis indicant superiorem principum esse, etiam summis sacerdotibus, potestatem? Omitto, ꝙ Demetrius Simoni summum sacerdotium contulerit, ac deinde aliis. Prætereo etiam alia q̄plurima. Nō tam enim confirmationis uim habeat ex diuina lege exemplorum multitudo, q̄ ostentationem. Hoc nanq; interest diuina et humana, ꝙ illa cōstantia, hæc uanitati, ac proinde uarietati semper sint subiecta. In illis itaq; nunq̄ nō est uerum, quod exemplo semel pro uero proditum est. ut ad probandam supremam principum potestatem, atq; authoritatem unius Ezechiæ exemplum diuina historia testatum, ac nobis com-

Exod 32.

1. Regū.22.

3. Regum.2.

1. Mach. 10.

1. Mach. 14.

mendatum merito ſuffeciſſet. Relinquitur ergo ut Romanus epiſcopus aut noui inſtrumẽti tabulas proferat, aut nullas. Primũ aũt ut de noua lege in uniuerſũ loquamur, qui poteſt illius auctoritati ulla in Chriſti uerbis ſyllaba ſuffragari? cum idẽ Chriſtus tam aperte ſit, et uerbis, et factis proteſtatus, non terrenum ſe regnum quæſiſſe, aut huiuſmodi regnũ arrogare ſe unq̃ uoluiſſe, ſed manente ordinum ſtatu, cæleſtis conuerſationis formam, et inteſtinæ mentis iuſtum per dei gratiam imperium tradere, atq; docere, quod nõ in faſtu, et dominatione, ſed contra in humilitate, et rerũ humanarum contemptu conſiſtere factis luculẽtis, dum pro nobis acerbiſsimum, et crudeliſsimũ mortis genus pateretur, clariſsime declarauit. Cuius profecto uices ſunt, ſi quis eas bona cũ fide obire uelit, non præeſſe, ſed ſubeſſe, non principibus imperare, ſed eorum poteſtatem, atq; imperium agnoſcere. idque nõ ſolum cum æqua imperent, et facile obeunda, ſed iniqua etiam modo impia non ſint, in conuiciis, in plagis, in uerberibus uſq; ad mortem, et mortem quidem crucis. Hæc ſunt certa Chriſti ueſtigia, atq; adeo hæc in Chriſto dominãdi maieſtas: hæc inquã, eſt Chriſti uera poteſtas, et admirabilis nobis, ac ſumme ſalutaris: per quã data eſt nobis etiã poteſtas filios

dei

dei fieri. hanc factis docuit, atq; expreſsit, de regno Iſrael. Somniantes diſcipulos ſemper increpauit: neq; aut Cæſaris tributo, aut cuiuſq̃ poteſtati quicq̃ factis aliquando derogauit. Atq; hæc cum ita ſe habeãt, iam fecimus opinor, manifeſtũ, ſi Chriſti facta cõſideramus, quę mutari non poſſunt, nec ullam ambiguam interpretationem recipere, reperiemus plane omnia cũ his ex dyametro pugnare, quæ tanq̃ Chriſti uicarius ſibi uendicat epiſcopus Ro. Supereſt igitur tantũ hoc, ut ad uerba ipſa confugiat euãgeliſtarũ, de quibus quidem ipſis (ut cũq; in interpretatione ſit uariatum) ut ſunt tamen in cõtextum relata inter omnes ſatis conſtat. In iis autem quid quærit? Nimirum hoc. Num dixerit aliquando Chriſtus uia ueritas, et uita, in quo a factis nonnihil diſſentiret ſuis? ut quam nunq̃ apud homines exegerit ipſe authoritatem, eam nihilominus Romano epiſcopo tãq̃ ſuo uicario commiſerit uſurpandam. Hæc eſt certe quęſtionis ſumma, uerbis quidem (ut proponitur) blaſphema, et impia, ſed quæ rem profecto ipſam exprimit quę tractetur. Nam cum in cæteris omnibus cępit Ieſus, ut euangeliſta teſtatur, facere et docere, et quod factis pręſtitit, doctrina exprimere: hac una certe in re, de qua nũc agitur, ſi quid docuerit ęius, quod hodie chriſti titulo

ſibi

sibi arrogat Romanus episcopus uidelicet ex uerbis Christi principibus prę esse, cõfitendum omnino erit docuisse Christum uerbis id, cuius nullum in seipso exemplum non modo ædidit, sed cuius longe diuersum in perpetuo uitæ cursu prę monstrauit. Maneat itaq; hoc in causa, Christi facta a nobis stare, quę nulla hominum interpretatione queant torqueri, Tantum in Christi uerbis quæstionem esse, quæ humana interpretatio interdum audet uiolare. Quanquàm etiam cum ipso Romano Episcopo hac in causa congressurus, in eo primum posset insistere. Nullam de ipso Ro. episcopo in scripturis sacris syllabam reperiri, ut quancunq; uerborum Christi interpretationem confirmauerit, extra oleas quod dicitur uersari uideretur. Nam quę tandem consequentia est? Petrũ uoluit Christus pricipibus præesse, id quod nunq̃ etiam uoluisse uidetur, ergo etiam et episcopum Ro. An scilicet quia est successor Petri? utinã esset, nihil ãplius dico. quo casu præesset omnibus non dubito, si non eminentia potestatis externę, cuiusmodi haud dubie nullam habet, at certe admiratione, ac ueneratione internæ uirtutis, quo nomine, ipsis etiam imperatoribus uoluit Christus suos prę lucere, ac primatum obtinere. Vt pote quibus, tanq̃ legatione pro se fũ-

gen-

gentibus, claues etiam tradidit regni cęlorum, et in iis Petro, qui omnium nomine confeſsionem primus emiſerat tam ſalutarem, ut Ieſum agnoſceret filium dei uiui. Quam quidem confeſsionē ut caro et ſanguis non reuelauerat, ita nec carni in Petro, aut ſanguini data eſt prerogatiua, quæcūq; eſt data, ſed potiori eius parti, qui ſpiritus erat, nimirum ut uberiore gratia a deo donatus, in uirtute, ac uerbi dei potentia regendorumq; affectuū poteſtate primatū obtineret. ꝙ ſi Chriſti uerba ſic interpretaremur, ut externam aliquam in dominando poteſtatem, quam reliqui omnes agnoſcerent mortales, atq; in iis etiā principes, licet antea ab eodem deo in ſuperiori loco collocati, ut nihil aliud afferatur, qui conſiſteret illa Chriſti ſētentia? Non eſt diſcipulus maior domino ſuo, ſi pręſertim diſcipulus exemplo Chriſti imperium nō pateretur, ſed ſupremam illam poteſtatē exequeretur ipſe, quam dominus nunq̄ uoluit ſibi arrogare. In ſcripturis de primatu Petri nulla facta eſt mentio. et Euſebius in eccleſiaſtica hiſtoria refert Clementem in ſexto diſpoſitionum libro aſſeruiſſe Petrum, Ioannem, et Iacobū poſt aſſumtionem ſaluatoris, quamuis ab ipſo fuerint omnibus pene prælati, non ſibi tamē eos primatus gloriam uindicaſſe, ſed Iacobum, qui iuſtus appella-

Primatus Petri.

Iacobus epiſcopus apoſtolorū.

batur, apoſtolorum epiſcopũ eſſe ſtatutum. Verumtamen propter authoritatem eorũ, qui a uerbo primatus non abhorruerunt, uerbum ipſum non perinde refugio, ſed ad illam eius uerbi interpretationem confugio, quæ cum genuino euãgelii ſenſu, in Chriſti factis depicto, queat conuenire. Fuerit igitur Petrus primus, habuerit etiam primatũ a Chriſto, quid tum poſtea? an ſimul cũ primatu regnum, aut dominium collatum eſt, aut præeminentia? An quia iuſſus ſit fratres confirmare in fide, datum eſt idcirco in fratres exercere imperium? Nullum huius generis uocabulũ nouit Chriſti humilitas, nedum rerum. licet enim Chriſtus deus erat æqualis patri, apud quem erat in principio, et in omnibus quæ ab eo creata, dicta, aut facta ſunt, una cum ſpiritu ſancto cooperator indiuiduus (una uidelicet trium perſonarũ in diuinitate eſſentia) ſemper fuerit, licet inquã ſecundum hanc maieſtatem, omnem poteſtatẽ habuerit ſemper, qua ſubiiceret ſibi omnia: uixit, uiuit: uiuetq; regnauit, regnat, atq; regnabit per ſecula deus omni tempore: pro immẽſa tamen ſua in humanum genus miſericordia, ſeipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, habitu inuentus ut homo, atq; adeo inter homines ſecundũ prophetam, opprobrium, ut faceret planũ, atq; apertum

tum, ea quæ ſummo apud homines in prętio haberentur, imperia, dominia, et pręeminẽtias tanq̃ impedimenta quædam ad æternam fœlicitatem aſſequendam, abiicienda potius, et contemnenda eſſe, q̃ cum ſtudio quærenda, ambiendaq; imo nec amplectenda quidem, ſi ſe ipſa offerant, niſi ea cautione adhibita, ut tanq̃ materiam, in qua exercẽdæ pietatis cauſa uerſemur, unuſquiſq; in uocatione ſua a deo oblatam accipiamus. quæ, quo maior ac numeroſior fuerit, eo certe difficilior ſit expeditio, quam nemo eorum ſibi exoptat, et quęrit, qui ad patriam bona fide contendunt æternam. Tantum abeſt, ut de primatu aliquo externæ adminiſtrationis ſenſiſſe Chriſtum intellegamus, qui milites ſuos, quos uelut in acie aduerſus mundi, carnis, et Sathanæ fraudes, prælia, et perpetua bella inſtruxit, eos demum primos, et in ipſa fronte quaſi anteſignanos collocauit: quos quaſi ad frangendos maiores impetus hoſtium fide robuſtiores nouerat, nulla alia cura externarum rerum occupatos, atque impeditos: quique cæteros infirmiores, ut nomina huic militiæ darent, conſtantię exemplo animarent, allicerent, et prouocarent. qua in militia, ꝙ CHRISTVS ſuorum faciens delectum primam, ſtationem Petro inter fratres contulerit, nihil mirũ:

cum ita cum ipſe armauerat, ut etiam ſi aliquando hoſti pro tempore ceſſurum, rediturum tamẽ eũ ad pugnam, nec prorſus ſuccubiturum, ſed acriter fortiterq;, pro ueritate aſſerenda dimicaturũ præcognouerat. Primus ergo Petrus fuit? id nemo negat. primus enim confeſſus eſt Chriſtum uerũ filium dei uiui. Petrus etiam in eadem ueritate defendẽda nemini unq̃ fuit animi conſtantia, atq; firmitate ſecundus. primus poſt Chriſtũ docuit Iudæos. In conuentu etiam apoſtolorum cum neceſſe eſſet unum loqui omniũ nomine, aliquãdo, cum ita res ferebat, primas obtinuit in dicẽdo partes. Non igitur refragabor argumento, quod uocant a cõiugatis, quo minus diuus Petrus tot modis, atq; rationibus primus, etiam primatum inter apoſtolos habuiſſe cenſeatur. Quemadmodum enim ſapienti quatenus eſt ſapiens adeſt ſapientia, ſic etiam primatus adeſt primo. quid ergo? qui primus medicorum omnium habetur, an nõ habet etiam primatum inter medicos? quid ni enim habeat? In pictoribus rurſum, ſi quis hac tempeſtate Appellem æquaret, aut Pyrraſium, et primus ideo pictor appellaretur, an non eum primatum inter pictores obtinere diceremus? planiſs. In academiis autem ſi omnium conſenſus in hoc cõueniret, Lutetiam pariſiorum tanq̃ doctiſsmis uiris

coniugatis.

ductio.

ris refertiſsimam, ac frequẽtiſsimam primam, appellare orbis academiam, An non etiam eidem, inter alias academias primæ, primatus appellatio competere poſſet? certe. Sed propius adhuc accedamus. Si quis cũ unũ uniuerſę familiæ regendæ præpoſuiſſet, in qua magnũ numerum iuuenũ cum haberet, quos bonis artibus imbui, atq; inſtrui cuperet, multoſq; pręceptores aſciſcendos curaret, ac in his unum præter cęteros egregie doctum uirum, quem tanq̃ inter alios eminentem, pręceptorum omnium quos aſciuerat primũ uocaret, cuiq; quos habet chariſsimos erudiẽdos cõmitteret: An non hic, præceptor primus cum ſit, primatum obtinet? maxime. Neque ſane primus quauis in re non habere poteſt primatum: ſunt enĩ primus, et primatus coniugata non ſolum uocabulo, uerum etiam re. Cęterum illud quæri poteſt, de quo diximus, Primus præceptor in hac familia ſi quid ibi inciderit de moribus, aut ordine cõtrouerſum: utrius prior poteſtas haberetur, eius ne cui familia cõmiſſa ſit, an eius qui ad erudiendam iuuentutem aſciſcitur? qui primus, ut diximus, appellatus eſt, atq; ideo habet primatũ. Quis dubitat, quin illius cui commiſſa ſit familia? quid ita? nempe manifeſtiſsima eſt ratio, uidelicet quia ordo nonnunq̃ relatione mutatur. & quod

in una relatione primum, et ſupremum eſt, in alia uel diuerſa inferiorem ĩterdum locum, etiã ſępenumero ultimũ tenet. Itaq; deus filius æqualis patri ſecundum diuinitatem, minor eſt patre ſecundum humanitatẽ. Item deus filius quatenus quidem deus in principio eſt, atq; principum ipſum, quatenus uero dei filius, ſecunda numero perſona eſt, licet ſine omni conſideratione tẽporis deo patri ſemper coeuus. Sed è rebus inferioribus ut petamus exempla: An non domi uidemus eundẽ hominem diuerſis muneribus fũctum, Arithmeticarum figurarum inſtar, nunc primum, deinde ſecundum, tandem tertium occupare locum, interdũ etiam inferiorem, prout cauſę, in qua uerſatur, et loci, ubi conuenitur, ratio poſtulat? Nunquid uidere eſt eum, qui in iudicum conſeſſu primus eſt, et eo nomine etiam primus iudex appellatur, cum extra ordinariis iudiciis adeſſe rogatur, quod non raro fit, in tertio aut quarto loco poſt alios collocari? Quin in diuinis quæſo functionibus, quantum, ut ita dicam, primatum obtinet Sacellanus in dominũ, dũ intereſt diuinis, quem tamen cũ loco, et ueſte mox deponit. Neq; id ſane mirũ. In hoc enim ita ſe res habet, ut qui primi, ac primatus nomen cupit retinere, ab eo nõ diſcedat oportet, cui illa fuerat appellatio appoſita, atq; affixa.

fixa. Itaq; ut ad exẽpla redeamus. Medicus quidẽ habeatur in medicina primus, hoc eſt ſcientia cedat nemini, ſicq; quoniam etiam id res ipſa poſtulat, retineat primatũ, cęterũ tantiſper dũ uerſatur in re medica: In adminiſtratione aũt reipub. quoniã alia eſt functio, ſua ſit claſſe etiã ſecunda contẽtus, nec aliis contẽdat imperitare, quia primus ſit medicus: ſed nec cęteris quidem medicis imperandi ſibi arroget authoriatem, quippe quæ in primatu collata nulla eſt, non quia non potuit conferre etiam hoc, qui eum ſic prętulit, ſed quia non collibuit conferre, quia ſic ratio non ferebat: uel quod grauiſsimum eſt dicere, quia id non fecit, utpote qui eum non abſolute primum, ſed primum medicum appellauit. Sit etiam pictor egregius pictorũ primus, et in eo contendat retinere primatũ, ne ſi alius ſuparit arte, ſuperet etiã nominis dignitate. Academia parriſienſis non tam de honore glorietur uocabuli, q̃ ſtudeat præſtare quod eſt appellatione tributũ. Deniq; hic pręceptor, qui ad liberos erudiẽdos aſcitus eſt, quia nõ hominis perſonã, ſed latentẽ ſub perſona uirtutem honore primatus donãdã cẽſuit paterfamilias, meminerit etiã atq; etiam ſe non tã honorari hoc noĩe, q̃ onerari, ſtudeatq; potius ſecũdum noĩs rationẽ in exhibendo docendi munere, ſe primum præſtare, q̃uano

Appliratio ad Hoc.

q̃ uano appellationis titulo abuti, et tanq̃ abſolute primus eſſet, neglecto officio, et eo pacto amiſſo primatu, de nomine tamen atq; uocabulo cum his qui uerum obtinent primatum, atq; abſolutum, tanq̃ regendę familię præpoſitis cõtendere, et digladiari, ſacraq; et prophana miſcere, ut quo iure, quaq; iniuria uincat, ac pro libidine obtineat, nihil pręterea de functione, atq; officio habens penſi: ſed totus in hoc. Id quod multo iam tẽpore plane feciſſe uidentur Epiſcopi Ro. qui ea, quę primatui Petri adiecta fuerũt, nihil curantes, atq; primatus nomen certis quibuſdam functionibus annexum ipſi abſoluentes, quippe qui abſoluũt oĩa, nudum orbi uocabulum propoſuerunt, ut primi haberẽtur, atq; ipſis primis priores: nihil ĩterim cogitantes, q̃ ſint in cæteris, infimis quibuſq; inferiores. Non confero hic, in quo mihi latiſsimus pateret campus, hominum uitia cum cauſæ conditione. non ſemper boni præſunt ſcio, nec authoritati tamen quicq̃ derogat hominis malicia, etiam illud ſcio, omnes peccauimus, et egemus gratia dei. Quod autem cauſę annexum eſt, ſileri non poteſt, ne quis mihi obiiciat illud Pauli, ꝙ in quo aliis prędico, ipſe reprobus reperiar. Quam enim non ſatisfaciã mihi in meo munere, cõſcius mihi ipſe ſum. Fidelis autem diſpẽſator quis inueniet-

tur!

tur? ſecundũ Paul. qui in eodẽ loco ſubdit, Nolite ante tẽpus iudicare. Itaq; nec ego hac in re latius, ampliusue uerſabor, q̃ poſtulat cauſa, Nempe ut eũ qui ſe primũ uocat immerito, q̃ modeſtiſsime cum ueritate refellam, eiq; ſi nihil aliud, illud ſaltem optẽ, ut iisdem titulis primus ſit, quibus primus eſſet debet is, qui primus merito appelletur, quibuſq; fuit ille, unde ſibi tanq̃ ſucceſſione primatum uendicat. Quamobrem prǽcedat modo alios Chriſtũ confitendo, et primus eatenus inter omnes, etiam iure diuino, merito cenſeatur, id quod ſi Bonifacius ſenſiſſet, non fuiſſet ei opus idipſũ ſuffragiis a Phoca imperatore, tanq̃ mendicando impetrare, quod ſibi ipſe, dei opitulante gratia, per ſe conquirere potuiſſet. Prętera primus ante alios doceat, et prædicet Chriſtũ epiſcopus Ro. et tantiſper ante alios obtineat eius functionis primatũ. Quàm uero illud ridiculũ, ut multis in ſtadio currẽtibus, unus quiſpiã à ſpectatoribus magno cũ ambitu cupiat impetrare, ut ipſe ad currẽdũ quidem inter cęteros deſignatus, cũ iã aut culpa ſua claudus, aut aliter ad curſũ ineptus factus ſit, alios tñ oẽs etiã tũ curſu anteuertiſſe, ac primus omniũ metã attigiſſe dicatur, quũ prętereq̃ ꝓ ueſtitu ad curſũ appoſito ꝓdierit, ſederit iterim inter ſpectatores ocioſus, nullã aliã precũ ſuarũ rationẽ afferẽs, q̃ ꝓ ab iis (ſi diis placet) ortus et

prognatus sit, qui olim optimi cursores, atq; ideo primi sunt appellati. Egregia sane ratio, et eo sane digna, qui uanis, ac falsis appellationibus gaudeat, et adulationem plusq̃ Gnatonicam æquo animo ferat. Quemadmodũ aũt huic sanus amicus, si quis adesset, nõ modo mentẽ optaret meliorem, uerum ab illa etiam inepta petitione, recta si posset admonitione auerteret. indicans nimirum, q̃ sit stultitiæ plenũ, uelle uerbis dici, et appellari, quod reuera non sis. Ita quoq; ego sane cuperem Romanis episcopis, quos simili quodam affectu, (uolo rem uerbis tẽperare) laborasse constat, atq; adeo in præsentia ab inueterato (ut audio) nõ desistere, consultũ ab aliquibus fore, ut ne cõtenderent primos dici, quòad consisterẽt in postremis: Sed si nominis appellatio delectaret, uiderẽt potius quibus rebus parta, quibusq; rebus proprie fuerit attributa. Vt enim in ciuitate bene cõstituta qui primi sunt in diuitiis, non sunt ideo authoritate primi: sic nec in ecclesia Christi aliis præsunt ii, qui fastu, pompa, diuitiis antecedũt. Ideo q; si in munere, atq; officio prædicandi uerbi dei, si in illustrandi nominis Christi cura, et solicitudine, si in prõpta ad ueritatẽ tuendã, & fidẽ Christi ab hęresibus uindicãdã aĩ magnitudine magno olim cũ cõsẽsu orbis, Romanę ecclesiæ primatus stetit, id quod illis tẽporibus maxime patuit, cum Romani

iam

iam episcopi, et fere soli, in ipso nascentis ecclesię primordio furori tyrānorū in Christianos seuiēti, cū sanguinis profusione mederi curarint: Neminē puto hodie christianorū principū, qui Ro. episcopos, si uiderēt de illo primatu cōtēdere bona fide, nimirū ut alios oēs quotquot hēt ecclesia christiana quaquā uersū dispsa, episcopos pietate, fide, religione, pia quadā emulatione uicere, et tā lōgo anteire interuallo certarent, ut in cursu hoc primi merito dicerētur. Hæc inq̄ principes, si uiderent, haud grauatim facerent, ut quod oculis cernerēt, ueris noībus donarēt: et quē primū aīaduerterēt, i eo certamine etiā primū appellarēt, ac in primatu honore uirtuti debito, uenerarēt. Qua quidē opinione īducti uidētur maiores, quæ etiam opinio ad nostra tempora durauit, ut operā sibi conducerent Ro. episcoporum, qui se seruos seruorum dei, non tam nomine, ut nunc, q̄ reipsa tum profiterentur. Cęterum serui appellatio ministerii rationem notat. Neq; enim seruus operas suas locandas imperat, sed tanq̄ in medio promptas sistit, ut alliciant conductorem. Qua in re aliqui tamen diligentię, ac fidei commendatione sic operas ostentant suas, atq; desiderabiles reddunt, ut multos efficiant competitores, atq; eos ita afficiant, ut quum domi negotiū et melius, et expeditius absolui potuisset, illis tamen inconsultis

nihil aut pręclari, aut recti geri posse existimetur. Id quod in uariis opificū generibus, atq; minimis quibusq; rebus cū ī dies accidere uideamus, nō est mirū si in religiōe, ī qua ad absolutissimū quodq; exēplar, oīa componi oēs optant. in quo tamē nōnulli suis īgeniis partim diffidūt, partim in eo corruptis utūtur, q; peregrina domesticis anteponāt, nō debet inquam cuiq; mirū uideri, si splēdor nominis Ro. ecclesię, claris tū uirtutibus illustris, etiā omnes fermè orbis partes in sui admirationem excitans, attrahensq; uirtutis amore, quod est uinculum firmissimū, sibi adglutinauerit omnes, effeceritq;, ut eam ecclesiam, quā omnes tot uirtutibus tum tēporis conspicuam cernerent, inter alias tanq; primā, ac præcipuā uenerarentur. Pii quoq; hoies iis etiam noibus ornarint, quæ hodie tāq; diuinis oraculis prodita orbi iactāt Romani episcopi, ut primatum defēdāt nō uirtutis, sed potestatis atq; huius quidē terrenę, externę, atq; carneę, qualē nec exercuit Christus aliquando, nec unq; exercēdā cōmisit, quatenus ex sacris quidem literis licet colligere. E quibus tamen cū aliqua decerpserint aliqui, quibus id confirmarēt a Christo esse mandatū, atq; cōstitutum, in quod sua spōte populus, ac prīcipes, uirtutis ui, tanq; a magnete attracti concessissent, nempe ut ecclesiam illam Ro. et in ea pręsidentem episcopum, non modo colerēt

ac

ac uenerarentur, sed iis etiam appellationibus exornarent, quę pietas fingere, atq; exprimere solet (qua in re pius nonnunq̃ est error bonorum hominũ) Tamẽ ędditis in hoc multis multorũ libris, mutuaq; conflictatione impetentium, ac defendentiũm, cum sit plusq̃ manifestum illa scripturæ loca, ad eam authoritatem defendendam, a uero, ac genuino sẽsu detorta esse, nõ putaui operæpretium actam rem agere, et illa repetẽdo, quasi scrinia aliena compilasse uideri. Cum interim ego etiam ne omnia omniũ scripta uidear reiecisse, de primatu non ita multum contendo, modo ne ultra id proferant, q̃ cui uidetur ab initio fuisse appositũ. Id autem pernego fuisse episcopum Ro. in absoluta aliqua externa potestate primũ a deo cõstitutũ: de hoc est questio, in hoc causa cõsistit. Qua in re planum fecimus (opinor) facta Christi: a nobis stare, nec primatus uocabulum a patribus usurpatum obstare, eam autẽ appellationem cõmoda interpretatione adhibita potestati, quã nũc sibi uendicat episcopus Ro. nihil suffragari. Nihil præterea, causæ episcopi Romani patrocinari prærogatiuas, quas deus sua in Petro dona coronans eidem cõtulit: quę uidelicet non carni, et sãguini, sed ad insigni illius fidei professionis testimonium sũt collatę. Cuiusmodi adhuc deus, qui etiamnum inexhaustam habet bonitatẽ, istis ipsis

Ro. epiſcopis ſit daturus, ſi fidē Petri fuerint imitati. Quod ſi adhuc pergāt Romani epiſcopi male conſtructæ, atq; ideo iamdiu nutantis poteſtatis ruinas fulcris et pedamentis, ab humano ingenio fabrefactis, ſuo faſtigio ſuſtinere, potiusq; ne caſum patiantur grauiorem ad eum uſq; modū demittere, quē ueritas tueri ac defēdere poſſet, nolo grauius quicq; ominari. Tantum animaduertant uincere tandē in omnibus ueritatem. Iā tenebris ſucceſsiſſe euangelii lucē. lucem autē arguere quę nō ſunt probanda. Vident oēs quid ſibi uelint ea euangelii uerba, Tu es Petrus, et ſuper hanc petram ędificabo eccleſiam meā. Cernūtur myſteria, et trinæ ītterrogationis dñi ad Petrum, et trinę eiuſdem negationis, ac ſolutionis didragmatis pro eodem. Intelligitur hodie, quid ſit apoſtolorum eſſe primū: quid deniq; oues paſcere cōcreditas a deo, hęc paſſim obuia in ore ſūt oībus. Clamāt etiā aliqui fucū, et impoſturā. Alii uero aliis, ut fert natura, atq; ingeniū, parcius loquūtur, atq; moderatius. Sūt etiā qui, qm̄ ſe aī tā diu falſos fuiſſe animaduertūt, præ pudore quoad licet tacēt. oēs planę cōſtantiſsimo cōſenſu in hoc cōuenerūt, docti pariter, atq; indocti tū uiri tū feminę, nihil ei cū Roma eſſe negotii, quē Anglia genuit, et educauit. omnes ſūmo cōſenſu ueritatē amplexātes, atq; exoſculātes prīcipē, ſupremū in terris eccleſiæ caput

noſ-

agnoſcunt, colunt, et uenerantur. Iubere ualere epiſcopū Ro. cuius operam utcunq; receptam aliquando, ita hoc tempore inutilem atq; incōmodam non magis religioni habent, ut in quo nulla ſit religio, quàm a ſe illum ſacellanum inuitum dimittere, qui ad diuina peragenda conductus, aut rogatus, non ſeipſum officio, fide, ac diligentia probauerit iis, a quibus operæ præſtitæ mercedem deberet expectare. Maluit enim re ipſa ſeruum in miniſterio fidelē, in cuius noīe certa rerū nota, qui uocabulorū eſt uſus deprehēdatur, q̄ ſerui loco factis quidē uenditantem, ſeſe dn̄orū dominū, qui iterim ſeſe appellet ſeruorum ſeruum. Cui tamē pro chriſtiana charitate bene pręcantur, et optant omnes, inter quos etiā ego uel maxime: nimirum ut nunc qui Paulus eſt, ita cæteros anteceſſores ſuperet diui Pauli dotibus, Vt quemadmodum hic una ad Ro. epiſtola uniuerſa noſtræ religionis myſteria complexus eſt; ſic ille e Romanis ea nunc ſcribat iis, qui ei auſcultant, quæ ueram CHRISTI gloriam ſapiant, et ad fidem illuſtrandam pertineant, uerius q̄ quæ ſuperioribus his annis ab archiuis illis, et ſcriniis in orbem emanarunt. Breuiter uiuat, et ualeat in Domino fœlix. Ego uero redeo ad inſtitutum: Nempe ut omnes cohorter ad obedientiam, quæ in dei præceptis, ac propter deum ſola

nos

nos efficit fœlices, ac beatos. Præcepta autem dei lucida, quæ oculos illuminant, ne in tenebris offendamus, sunt iusta, sunt honesta, sunt deniq; tũ animæ tum corporis perpetuæ uitę non utilia modo, sed necessaria, eademq; nec grauia obseruatu aut difficilia. habent quidem iugi rationem ꝙ detineant, et contineant in labore, sed cum suauitate. onus autem sunt, sed leue. Nempe illud prę-stat dei gratia, quæ per Iesum Christum facta est, ut quę carni sint impossibilia, per spm̃ pręstentur cum alacritate. diffusa namq; charitate in cordibus nostris per spiritum sãctum, qui datus est nobis, ac renouati spiritu mentis nostrę, iamq; spirituales effecti cum simus, dicere licebit cum diuo Paulo, Omnia possumus in eo qui nos confortat Christus. Non est igitur ꝙ rei grauitate deterreamur, quæ Christi beneficio, morte eius preciosissima, et glorioſissima interueniente, facillima effecta sit iis, qui carnis imbecillitatẽ agnoscẽtes, diuinæ se totos fidei, cũ certa in deũ fiducia obediendo committunt. Ergo accingamur obedire deo in pręceptis eius, quę ut difficilia non sunt, ita nec numerosa. Qui diligit proximum, ait Paulus, legem impleuit: quid dici breuius potest, aut maiore cum compendio? Quoniam autem dilectionis uerbum interpretationem habet, eam sequamur ante oĩa oportet, quæ in scripturis ab eo prodita

dita est, qui legem ędidit, et promulgauit. Ordinem deniq; seruemus à deo prędscriptum, nec ab eodem constituta, atq; diuisa commode corporis ecclesiæ membra, ut unus in ecclesia doceat, alius prędsit, id quod principibus est attributum, nostra interpretatione confūdere conemur, atq; peruertere. Quinimo relictis, atq; neglectis, quæ hoim siue prudentia, siue calliditas adinuenerit, ipsam sequamur ueritatem. Huic pareamus, huic obediamus, quę sola cōstituit ueram obedictiā. Atq; hic quidem claudere sermonem potuissem, ni me ineptæ quorundam uoces, tanq̄ pone prehensum resupinassent, meq; de meipso rationem reddere coegissent, quo tandem fretus de obedictia quacunq;, nedum uera, uerbum ędere ausus sim, qui interim obedictiam docere professus, meam detego inobedientiam, et in eius potestatē, atq; authoritatem impetum facio, cui defendendo patronus olim ascitus sū, atq; adeo iureiurādo adactus, ut eam pro uirili tuerer, et propugnarem? ubi inquiunt, iurisiurādi religio? ubi fides? quid credas his temporibus? aut cui credas? Etenim episcopus quidam Romani episcopi suffragio in episcoporum ordinem cooptatus, et eius mandato consecratus, atq; inter sacra ipsa ecclesię Ro. iura defendere iuratus, quę oia uolens, ultro et sponte subiuit, atq; pollicitus est præstare. En inquiunt,

idem ipſe deterrimo præuaricationis exemplo fidei datæ, atq; iuramenti oblitus, aut ſi non oblitus, certe quod deterius eſt, iureiurando ac fide ſpretis, atq; contemptis, Romanę eccleſię apertum ſe hoſtem profitetur, ac, quo tela in illam uenenata ſecurius iaciat, tanq̃ ab obedientia haſtam mutuatus, quaſi tectis lateribus delitescere ſe credit, cum interim omnibus pateat apertus, et nudus, pariſcũ ſtultitia atq; improbitate. Hæc qui dicturi ſunt, iis me ut ſatisfacere poſſim, nonnihil uereor, atq; pertimeſco. Afferẽt enim fortaſſe ad cauſam neſcio quid, animo prę iudicatum, quo repletus iã animus, id quod a me dicetur, non aliter reſpuet, q̃uas quodcunq; aqua iam plenum, ſuperfuſum liquorem non admittit. Qui uero hęc audient, ac uacuo deinde, libero q; animo, aut ſaltem non ſũmo tenus pleno, noſtra uiciſsim cum æquitate legere uoluerint: his nihil dubito oſtenſurum me, atq; adeo perſuaſurum uerba hęc quantumuis ſpecie grauia, quippe periurii, et infamiæ accuſationẽ continentia, conuitii dumtaxat crimine alligare eos qui proferunt: me uero, in quem dicũtur, nõ magis mouere debere, q̃ e dolio reddita tonitrua, quod habet prouerbiũ. Neq; enĩ in dictis iuratis, aut promiſsis ſpectari potius debet forma, quàm materia. Quinimo dicas, iures, aut promittas ſanctiſsime id, quod facere, et exequi non debes, nõ

uincent

uincent pacta rerum naturã: nec in his forma mutabit materię conditionem, ſed perſancte iuratũ, ſi malum ſit, aut non rectum, ſanctius omittitur, q̃ iuramenti prętextu, quaſi uinculum ſit iniquitatis, efficiatur, atq; pręſtetur. niſi fortaſſe perſuaſũ habeamus in malis, atq; peruerſis laudandam eſſe conſtantiam, uitioq; potius dari deberi de media uia recurrere, q̃ ſemper currere male. Ad quam rem clarius demonſtrandam illud mihi exemplum uiſum eſt accommodatiſsimum. Maritus quidam cum iuſtiſsimis argumentis credidiſſet primam uxorem nuſquàm inter uiuos extare ſuperſtitem, Authore eccleſia, quaſi a coniugio liber, mulierem quandam uirginem creditam, ſpecie quidem egregiam, cum conſenſu parentũ ſuperinduxit uxorem, ex qua poſt aliquot annorum cohabitationem liberos cum ſuſtuliſſet, en rediit tanq̃ poſtliminio prior uxor inexpectata. hæc repetit uirum ſecundis nuptiis male colligatum. Vir autem ipſe re pene incredibili percitus, atque perculſus, primum negare eam ad ſe pertinere, dein ſigna querere, poſtremo quoniam ſe ab illa, quam poſterius duxiſſet, ægre admodum auelli pateretur, quoad poterat dilationibus procraſtinare, tandem uero ad iudicium prouocare, in iudicio autem, quod ſecundæ vxoris cauſam tueretur, nihil omittere. At uictus

tandem ueritati cedit, ac priori uxori ex ecclesiæ iudicio se adiungit. hic nunc si ea mulier, quæ secũdo loco ducta merito expellitur, aut ea per tristitiam, et merorem tacente, parentes eius, aut amici exclamarẽt: O mores, o tempora, atq; in hũc hominem similem quãdam orationem haberent, atq; in me dicere uidentur isti, Quid tu pessime, fœdifrage, nequam, an hanc nunc deseris, atq; destituis, cui tu olim tam sancte inter ipsa sacra, cum deus testis adesset, dedisti fidem? An exciderunt memoria uerba illa, quę in corona hominũ celeberrima, ministro dei recitante, in ipso tẽplo protulisti, muliere quam nunc turpiter abiecisti, tum pręsente, et stipulante, atq; inuicem etiã promittẽte? An nõ orasti nos olim de hac, et illius nuptias multis precibus ambiuisti, atq; ęditis pactis iurasti seorsum nobis, hãc te tanq̃ matrẽfamilias semper habiturum, neq; te uiuo deserturum? an etiam nõ pudet, quũ hæc te patrem fecerit talium liberorũ, illam nunc turpiter tanq̃ meretricem abiicere? atq; adeo illam cum deseras, eius qui te ab hac euicit partes tueri? ubi iurisiurandi religio? ubi fides? Quid credas his tẽporibus, aut cui credas? Maritus deserit uxorem. Quæ quidem orationis ipsius forma, ut mulieris dolori cõcedi posset, tum propter grauẽ pręsentis calamitatis sẽsum, tũ etiã propter sexus infirmitatem, ita certe ab aliis pro-

lata

lata,qui quidem grauiter uideri uellent dicere,extremæ ſtultitiæ ęderet argumentum, quamq; in contione riderẽt omnes, in ipſis iudiciis ferret nemo. Mulieri autem ipſi poſt aliquod tẽporis ĩteruallum ſi quis reſpõderet, Nõ recte accuſas mulier eum,quo nunc iure cares marito, et defenſore. Quid enim in eo nunc improbas? Nempe quam diu aberat prior uxor,te amauit, te coluit, te habuit pro uxore. atq; adeo primę redeunti,quã non ſupereſſe putauit,illi non temere credidit, nõ protinus aſſenſus eſt: nihil amplius tua cauſa facere potuit, q̃ fecit. Si a te eum meretricis amor abalienaſſet, fuiſſet aliqua tua querela. Nunc autem quid exprobras fidei uiolationem ei, qui ut eam ſeruaret, à te diſceſſit, et mulieri adhæſit,quã iure antea deſponſauerat? quid adhuc cõquereris? ceſſeret opinor mulier: certe non haberet quod cõquereretur. Quæ quidem ſi non uirgo, ut credebatur, fuiſſet, ſed corrupta, quęq; priorem huius uiri uxorẽ ideo curauerat ipſa in extremas aliquas inſulas ablegandam,ut fidẽ interim huius ſibi obſtringeret,et quo minus alteri in matrimonio ſeruiatur efficeret: utrius tandem culpa maior cenſeatur? huius uiri qui bona fide contraxit, nulla: callidæ certe mulieris maxima,ut quę alieno matrimonio delectaretur. Atq; hæc ſi quis cõſideret, an non tanq̃ in ſpeculo cernet in me huius mariti

ueram imaginem, qui ſcilicet quum eam obedientiæ ueritatem nuſq̃ extare crederem, aut ſaltem requiſitam non inueniſſem, ſecundis me fœderibus ei copulaui bona fide, cum qua mihi cohabitationem interdictam non putaui, redeunti ueritati, quę prima eſt uxor omnium hominum, utpote in baptiſmo deſponſata, et quæ primam fidem ab omnibus exiget, ei acquieui, ei adhęſi: a ſecunda copula, tanq̃ nulla, eccleſię meę iudicio receſſi. Et æquum cuiq̃ uidebitur, quia ueritati pareo, appellari mendacē? quia in obediendo principi, deo inſeruio, ſacrorum contemptorem dici? aut iurisiurandi uiolatorem? Et quod ridicule obiicitur marito poſt diuortium, qui fidē nō prę-ſtitit, quam dare non debuit: id mihi in hac cauſa grauiter, et ſerio obiicietur, qui grauiſsimo quidē ueritatis iudicio ab illa Romana eccleſia, quā mihi retinere non licuit diuulſus, ſponſam ueritatē tandem poſtliminio redeuntē cogor agnoſcere, atq; illi firmiter adhęrere? Si docere poſſet nō eſſe hāc ueritatem, quam pro uxore, fidem primam repetente, amplexus ſum, quod nunq̃ faciet, me quibus uolet, uocet nominibus. Sin hoc omiſſo de iuramento aget, uerendum eſt, ne odiſſe incipiant omnes eam calliditatē, quę iuramentis contra ueritatē innitatur. Itaq; remoueatur a cauſa iuramentum, quod ueritati ſubſeruire, non autem præiudicare

dicare posſit, aut debeat. Qui iurat illicita, haud recte facit: qui uero illicita iurauerit, et ea exequi perſeuerat, altius, atq; altius ſeſe immergit, unde niſi retrogradus queat nunq̃ euadere. Quamobrem nimis abſurdum foret, ut, in quo quis reſipiſcere laboret, in eo crimen contrahere, et ſeſe dehoneſtari, ac deturpari uideatur. Secundum quam rationem fit, ut ne in ciuilibus quidem legibus ulla ſit turpium obligatio: uidelicet ne in criminibus perſeuerantiam potius, quàm reſipiſcentiam probaſſe uideantur. In eccleſiaſticis uero ſanctionibus, nullo cum teneri nexu, qui illicita iurauerit, diffinitum eſt, cum iuramentum non ſit uinculũ iniquitatis. Supereſt tantũ hoc, ut ab illa impetitione depulſi, qua periurii notarent, temeritatis mihi notam inurere contendant, qui iuraui ea, quæ præſtare non licuit. At licuiſſe putaui, nõ ſolus, ſed cum iudicio multorum. Nam ueritatis uox, iamdiu tum ſepulta, haud impedire uidebatur. Nunc autem cum domum redierit ipſa, et tam multis ſe iudiciis mihi eam ipſam eſſe confirmauerit, Quid ni amplectar ueram ſponſam, quę fidem meam habet ſibi obnoxiam, ipſam nimirum ueritatem, in cuius obſequio nulla eſt culpa, nedum crimen? Tantum abeſt, ut aliorum conuitia pertimeſcam, dum huic uni mea probem officia, et ſecundum eam principi

ſupremo

ſupremo eccleſię Anglicanę in terris capiti obediendo, alias ſimul obedientiæ ueræ partes obire contendam, quę ſunt hominis proprie Chriſtiani, ut emenſis in obedientia, et ueritate huius uitę ſpaciis, potiri ualeam æterna uita, Cuius Author eſt, et dator Ieſus Chriſtus, qui ut omnes ad patrē traheret, patri per omnia factus obediens, mortem pro nobis obiit ſalutiferam. nec facto minus, q̄ uerbo eam docuit obedientiam, quę ueritatis plena cum ſit, ad ipſam omnes quotquot in fide adhæſerint, tandem euchet ueritatē, qui eſt deus benedictus in ſecula. Amen.

FINIS.

LONDINI IN AEDIBVS THO.

BERTHELETI REGII IMPRESSORIS EXCVSA.

AN. M. D. XXXV.

CVM PRIVILEGIO.

CON

ET APO

rum & r

rum

A

Loquebar de t um,
& non confundeba

Principes non alo,

Saule, Saule, t ſt ti-
bi contra ſtimulum



Impreſſu